Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIV
C
50
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# DE
# SIGNIFICATU
# COMETARUM
# DISSERTATIONES ET JUDICIA
## DOCTORUM HOMINUM:

*collecta, emendata, & Cometomantica noſtri temporis oppoſita*

*a*

## JO. ANDREA BOSIO.

*Singulorum nomina ac ſeriem Indiculus præfationi ſubjectus indicabit.*

BIBLIOTECA NAZIONALE
NAPOLI

JENÆ,

Typis & Sumtu GEORGII SENGENWALDI,
AN. CHR. CIƆIƆCLXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

# JO. ANDREAS BOSIVS
## *CORDATO LECTORI S. D.*

CUm nuper obortis intra paucos menſes duobus, iisque maximis & fulgentisſimis, Cometis, paſſim, vt fieri ſolet, trepidaretur, nec vulgus modo ac ſimpliciores, ſed etiam docti prudentesque magno numero, ſubinde ſciſcitarentur ex aliis, quid mali portenta hæc, & quibus Principibus, populis, ciuitatibus portenderent: ſæpius optaui, quod & antea non ſemel feceram, ut exſiſteret vir doctus, pius, & cordatꝰ, qui cum cura expenderet, quod plerique fundamenti loco, tanquam rem cunctis exploratam, & in qua nulla ſit dubitatio, ſubſternunt, *Cometas* ſcilicet, *quoties in Cœlo apparent, ſemper magnum aliquod malum, immo plura quandoque, mortalibus, non modo vniuerſe, ſed his illisve, huic illive populo, Principi, ordini, profesſioni, minari; ſiue natura ſua, & conditione materiæ, loci, temporis, ſiue ſingulari DEI juſſu: idque tam manifeſto, vt, quæ mala quibus, & vnde, & quamdiu obuentura ſint, e Cometæ ortu, poſitu, curſu, tempore, duratione, aliisque, haud obſcure poſſit colligi.* Id enim, ex quo intellexi, quid diſtent æra lupinis, quamque vana & incerta eſſet omnis illa ex aſtris diuinatio, nunquam adeo vel argumentis, vel experientia, nedum ſacrarum litterarum



Digitized by Google

teſtimonio, comprobatum cenſui, vt pro certo ac indubitabili haberi debeat. Et obuerſabantur multa animo, quæ cum illa hypotheſi non ſatis conuenire videbantur. Præterea animaduerteram, hac opinione ductos homines non modo nimio ſæpe metu percuti, ſed ea quoque interdum conſilia poſſe capere, quorum deinde vel ipſos, vel ſaltem alios, merito pœniteat. Carolum ſane Cæſarem, nominis eius quintum, viſo Cometa, qui plusquam biennio ante obitum eius arſit, & mortem eo ſibi portendi ratum, & profectionem in Hiſpaniam, abdicationemque imperii acceleraſſe, Thuanus libro hiſtoriarum XII. adnotauit. Denique memineram ejus, quod ante hos annos XLVI. ad Carolum Piſonem, Medicum Lotharingicum, à Nicolao Guineto, Jure-Conſulto Gallo ſcriptum legeram; *nihil hominum uniuerſæ ſocietati ſalubrius euenturum, quam ſi perculſas portentis vulgi mentes ab ea ſuperſtitione vindicaret, qua fatali quadam lege Terris mutantem regna Cometen ſuſpiciunt, & Rerumpub. euerſiones ab iſtis ignibꝰ temere nimis imminere credunt.* Hæc aliaque hujusmodi dum verſarem animo, accidit vt neſcio qvid aliud inter libros meos quærenti offerrent ſeſe *De Cometis Diſſertationes nouæ Clariſſ. Virorum Tho. Eraſti, Andr. Dudithii, Marc. Squarcialupi, Symon. Grynæi*, anno ſuperioris ſæculi LXXXmo ſumtu Petri Bernæ, bibliopolæ Baſilieenſis excuſæ. Quas cumprimum euoluiſſem, adeo placuerunt & nitore dictionis (qui præſertim in Dudithio plane ſingularis eſt) & argumentorum pondere, copia, delectu,

delectu, vt quæ *de ſignificatu Cometarum* ſolide profecto & perſpicue doctisſimi homines diſputauerant, in hac publica conſternatione quantocyus in lucem, vt a pluribus legi poſſent, reducenda iudicarem. Non quod plane improbē eorum ſententiam, qui Cometas indicia eſſe irati Nûminis (quod fieri poſſe, non nego) eorumq; occaſione homines ad pœnitentiam hortandos cenſent: ſed ut cognoſcant literarum ac veritatis ſtudioſi, quam lubrico aut nullo nitantur fundamento, cum terrores illi ac metus, tum quæ paſſim circumferuntur Cometomanticorum vanæ hariolationes ac vaticinia. Qui cum neque quid ſit Cometa, nec vnde proueniat, poſſint dicere; audacter tamen de ſignificatu eius & effectis pronunciant. Quorum prædictionibus nemo ſanus, opinor, fidem habiturus eſt, ſi quæ de hac re *Eraſtus, Dudithius, & Squarcialupus* ſcripſerunt, animo veri auido, nec a timore falſaue perſuaſione præoccupato, legerit. Atque hac fini integras illorum diatribas, ſublatis quibus ſcatebant mendis, typographo, cum primum potui, denuo excudendas dedi. E *Grynæo* autem illam ſolummodo partem exhibui, quæ de ſignificatione & effectis Cometarum agit. reliqua enim, quibus naturam tum eorundem, tum aliorum meteororum expoſuit, ſatius duxi omittere: cum quod de hoc argumento accuratius multo recentiores egiſſent; tum quod vererer, ne liber plus iuſto excreſceret. Eisdem cauſſis & illa omiſi, quæ de calore ſubterraneo, deque ortu,



Digitized by Google

natura & cauſſis Cometarum Eraſtus aduerſus Squarcialupum diſputauerat. Cumque, dum iſta excuduntur, & in aliorum doctorum magnorumque hominum ſimilia quædam Judicia incidiſſem, ea quoque addi volui; vt appareret, etiam hanc ſententiam non vnius alteriusque tantum, ſed plurium doctiorumque conſenſione niti. De auctoribus ipſis non eſt cur multa addam. Erasti nomen pridem immortalitati conſecrarunt cum varia Medici argumenti opuſcula, qvibus veteris cumprimis Medicinæ fundamenta tueri atque aſſerere conatus eſt; tum præclarum illud volumen Epiſtolarum, quo Aſtrologiam Diuinatricem oppugnauit. Huius Judicio primum dedi locum, quod ante reliqua prodierit: quippe iam anno cIↃ IↃ LXXIIX cum eiusdem Diſputatione de Auro potabili editum. Alterum adſignaui Dudithio; cujus Epiſtola eiusdem quidem anni LXXIIX initio ſcripta, Eraſtiano tamen Judicio poſterior eſt. nam meminit ejus pagina XLIIX. Quanta eruditione ac fama fuerit, tot eruditorum elogia docent. E quibus Thuanus lib. XXXII *admirabili virum ingenio ac doctrina*; libro autem LXI. *litteris inſigniter excultum* vocat. Idem qui ei extr. libro IX. *illuſtre nomen in litteris & ob legationes ab eo obitas;* ac lib. LVI. *raram in ſcribendo loquendoque facultatem* tribuit. Lipſio centuriæ I. epiſt. LXXV. eſt *vir magnus, altus, & de quo illud poſſit, πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος*; centuriæ autem II. epiſt. LXXIIX. *vir magnus & ſapiens:* Bucholzero in Indice Chronologico

Digitized by Google

gico ad ann. cIↄIↄLXXXIX. (quo obiit) *genere, virtute, eruditione, diuerſarum linguarum cognitione, & maximarum rerum vſu vir vere illuſtris, ſummis honoribus tum ſacris, tum profanis, & legationibus ampliſsimis apud exteros Reges & Principes* (quarum & Thuanus meminit) *præclare perſunctus.* Tininienſem Epiſcopum, & Cleri Hungarici in Concilio Tridentino oratorem fuiſſe, e Thuano & Paulo Sarpio cognoſcimus. In qua ſynodo varias orationes habuit, quas cum aliis illius opuſculis anno huius ſæculi X. Offenbachii edidit Quirinus Reuterus, Profeſſor Heidelbergenſis; qui & vitam eius præfixit; e qua plura petet, qui volet. SQVARCIALVPVS Dudithio quidem fama impar, (quippe vix quidquam de eo compertũ habeo, niſi quod patria religionis cauſſa exulans, in Polonia conſenuerit) notus tamen eruditis, cum aliis ingenii monumentis, tum eo quod heic damus. De quo tam præclare opinabatur Dudithius, vt (quæ illius verba ſunt in epiſtola ad Eraſtum) *nihil in hoc genere eruditius, acutius, elegantius ſiue a noſtris. ſiue a veteribus ſcriptum eſſe exiſtimaret.* E reliquis SCALIGER, PERERIVS, GASSENDVS, notiores ſunt, quam vt de iis vel verbum addi debeat. Nec reliquorum fama in obſcuro. quamquam majorem merebatur ſingularis PHILIPPI MVLLERI doctrina ac prudentia; conſecutaque fuiſſet haud dubie, ni ſumma Viri modeſtia prohibuiſſet. quo quod in adoleſcentia doctore vſus fui, ſoleo in magna felicitatis parte ponere.

Conſtitueram de Significatu Cometarum & ipſe aliquid addere; ſed tempore excludor. Vrget enim, appropinquantibus nundinis, typographus. Itaque de ea re forſan alibi & die alio. Quod ſupereſt, Vale, lector beneuole, & conatum hunc noſtrum Egregio publico inſeruiendi meliorem in partem accipe. Scribebam Jenæ ante diem XIII. Kal. Jun. An. Chr. cIↄIↄLXV.

Indi-

# Indiculus Diſſertationum ac Judiciorum, quæ hoc libello continentur.

*THOMÆ ERASTI Judicium de Cometarum ſignificationibus, recognitum, auctum, & emendatum.* *Pag. 1.*

*ANDREÆ DUDITHII ejusdem argumenti Epiſtola ad Jo. Cratonem.* *p. 23.*

*MARCELLI SQUARCIALUPI Opinio de Cometa in vniuerſum, deque illo, qui anno* cIↃ IↃ LXVII. *viſus eſt.* *p. 56.*

## De Significatu Cometarum JUDICIA Doctorum aliquot Virorum, vt

*JULII CÆSARIS SCALIGERI,* *p. 133*
*BENEDICTI PERERII,* *p. 134.*
*SIMONIS GRYNÆI,* *p. ead.*
*PHILIPPI MULLERI,* *p. 154.*
*THOMÆ FIENI,* *p. 159.*
*JO. BAPTISTÆ RICCIOLI,* *p. 173.*
*PETRI GASSENDI,* *p. 174.*
*JACOBI PRIMEROSII,* *p. 177.*

DE

# DE COMETARUM SIGNIFICATIONIBUS JUDICIUM

THOMAE ERASTI

Medicinæ in Academia Heidelbergenſi Profeſſoris;

*recognitum, auctum, & emendatum.*

# AD
# Candidum Lectorem
## Epiſtola.

*Cvm in poſtremi Cometæ apparitione omnium oculi itq; animi, ut fit, in novi miraculi conſideratione defixi eſſent, omni loco & tempore de his rebus collocutiones fierent, nec quiſquam ferè reperiretur, qui non vel cauſas & naturam Cometarum cognoſcere cuperet, vel ſignificationem ſaltem (omnibus enim omninò perſuaſum eſt, eos temerè non comparere) animo prævidere deſideraret, dixi ipſe quoq; ab amicis interrogatus, quam de eorum pronunciatione opinionem haberem. Dixi autem non illud, (ut facere multi ſolent) quod ex aliis audieram, ſatisq; compertum non habebam; ſed quod vera & recta ratio perſpicuè demonſtrabat. Eam deinde ſententiam rogatu amici paginis aliquot comprehenſam deſcripſi, eiq; expendendam tradidi. Neſcio qui factum deinde ſit, ut, cum libellus de Auro poculento excuderetur, unà cum eo paſſus ſim etiam hunc de Cometarum præſagitione commentariolum imprimi. Nec pœnituiſſet facti (cur enim pœniteret honeſti & veri?) ſi non tot ſcateret mendis typographicis, quæ non obſcurum tantum reddiderunt, ſed ſenſum ejus verum turpiter alicubi depravarunt. Quia ergò occaſio mihi exſtitit præcedentis diſceptationis, placuit eum ſub incudem revocare, emaculare, auctioremq; reddere, & nonnulla etiam corrigere, & cum præcedentibus conjungere. Quia enim pars eſt totius de Cometis diſputationis, optimo jure conjungitur, ut ſimul doctrina tota de Cometis habeatur. Facio eò libentius, quod nuper ad me ſcripſit vir doctus & gravis, cui videtur non rectè factum, quod de ſola ratione egimus, de experientia vix quicquam diximus. Non enim convenire putat, ſi ex duobus κριτηρίοις ratione ſcilicet & experientia, alterum ſolum adhibeatur ad judicandum eas res, quas ambobus dignoſci & examinari oportet. Rectè prudenterq; iſta dicuntur. Ideò enim Galenus Medicum pronunciavit claudum eſſe, qui vel ſoli conſideret rationi, vel hac neglecta, ſola contentus eſſet experientia. Ut enim aptè conſiſtere probeq; incedere non valet, qui altero crure caret, vel uti eo non vult, aut non poteſt, ſed claudicare cogitur: ita quoq; labi & errare eum oportet, qui, quæ ratione ſimul cum experientia perfectè cognoſci duntaxat poſſunt, altera ſola plenè cognoſcere tentat. Etſi verò omni hac in parte culpa careo, & ea de experientia tum dixi, quæ præſens eam poſtulare videbatur: (non enim propoſitum erat, rem omnem ad vivum uſque reſecare) non gravabor tamen, quæ omiſſa videntur, addere, & rem paulò plenius exponere. Vale.*

DE

DE

# COMETARUM SIGNIFICATIONIBUS JUDICIUM THOMAE ERASTI Medicinæ in Schola Heidelbergenſi Profeſſoris.

MAxima pars hominum à malè ſanis Aſtrologis, puto, perſuaſa, *Cometarum apparitiones ex propria ſua natura ominoſas eſſe, magnasq́ naturaliter calamitates, præſertim verò bella, peſtem, annonæ caritatem, Principum mortes, Regnorum & Vrbium euerſiones, Religionis mutationes, & his ſimilia portendere* cenſent. Non deſunt etiam, qui *non mala ſemper prænunciare eos* aſſerant, ſed *maximorum aliquando bonorum fuiſſe authores, & prænuncios*, opinentur. Plinius certè audacter affirmat, *Cometam, qui in Ludis Auguſti Cæſaris apparuit, ſalutarem mundo fuiſſe.* Legi, qui Chriſti natiuitatem, aut Chriſtianæ religionis exortum, præfiguraniſſe ſcribunt. Credunt enim, ab eis mutationem religionum inprimis præindicari. Conſtat etiam ex hiſtoria, poſt Cometam, qui anno Domini 1097. menſe octob. ſplenduit, æſtatem omni fructuum genere affluentisſimam & fertilisſimam eſſe conſecutam. Nec dubitarunt, qui tum vixerunt, credere & affirmare, â Cometa præcedente id indicatum fuiſſe, cum nihil magni mali accidiſſet, cujus eum prænuncium facerent. Annus quoque 1506. poſt duram hyemem optimus, & ſumma omnium rerum vilitate celebris

 fuit:

fuit: quam ſimiliter felicitatem â Cometa, qui in Auguſto conſpiciendum ſe exhibuit, præoſtenſam fuiſſe putarunt, qui tum vixerunt. Gemma quoque Friſius ſubinde *locis, quibus imminere viſi ſunt, aëris temperiem, annonæ copiam, & pacem peperiſſe* arbitratur. Nolo his addere, quorum meminiſſe omnes ferè adhuc poſſumus; quæ ſcilicet annos 1556. & 1558 & 1577. conſecuta ſunt: de quibus poſteà dicendum aliquid erit. In hac controverſia quiſquis veritatem ſine errore cognoſcere auet, is primùm quid Cometa ſit, ſcire, deinde quæ eorum ſit materia, ex qua fiunt, compertum habere debet. Ex his enim velut hypotheſibus poterit hæc quæſtio rectè decidi. Quia verò de his ipſis tàm fusè alibi fuit diſceptatum, ut omnis de iis cogitatio ulterior meritò videri ſuperuacanea poſſit, iis poſitis, ad rem ipſam protinus accedemus.

Cometa igitur nil eſt aliud, quam calida & ſicca exhalatio, ſupra eam regionem, in qua nubes congregantur, niues, pluuiæ, tonitrua, fulgura & fulmina naſcuntur, elata, & à ſupremi aeris ac ignis motu accenſa. Quæ pro vario ſitu, variam quoque figuram recipit, ut modò ſtellam crinitam, modò barbatam, ſæpiſsimè caudatam referat. Aliquando haſtam, gladium, veru, facem, trabem, dolium repræſentauit. Affinia Cometis ſunt alia ignita Meteora, inprimis ea, quæ in ſuperiore illa regione aëris fiunt & conſiſtunt. Quippe materiæ ſitus, raritas, denſitas, copia, locus in quo accenditur, ferè diſtinctionem efficit.

Cum iam quæritur, *Vtrum Cometa aliquid eorum, quæ paulò antè diximus ab omnibus fere metui, naturaliter ſignificet*, ſic reſpondendum cenſeo. Si quid Cometæ ſupradictorum indicant, omninò neceſſarium eſt, ut cum eo connexionem eandem habeant, quam ſignum habet cum re ſignata. Quî enim ſignificare aliquid certi poſſit, ſi ejus rei ſignum non ſit?

ſit? aut quî ſignum erit rei certæ, ſi cum ea conjunctionem aut colligationem nullam habeat? Quod ſi ergo ſigna ſunt, videndum eſt, qualianam ſigna ſint. Etenim ſignorum alia ſunt Naturalia, alia Artificioſa: nec extra hæc ulla reperiuntur. Quamobrem Cometas oportet ſtatuere ſigna eſſe ſupradictarum rerum vel naturalia, vel artificioſa. Utrumq; ſi neges, ſigna quoque eſſe itidem negabis. *Naturalia* ſigna voco, quæ ſua natura certi aliquid ſignificant. *Artificialia* nomino, quæ non quidem natura ſua, ſed ex pacto & convento aliquid denotant. Naturalis ſigni exemplum eſt fumus, itemq; Iris veſpertina. Ille enim ignem, hæc diei ſequentis ſerenitatem indicat. Plurimùm enim dies poſtea eſt ſerena. Tale quoque ſignum eſt rubens veſperi cœlum: quod ipſum quoque ſequentem diem ſerenum fore prædicit. Signi artificioſi exemplum eſt Lapis, quem *Terminum* appellamus. Eſt enim ſignum artificioſum diſtinctionis agrorum, ex pacto & conuento hominum. Sic enim conuenit inter eos, ut certo poſitus loco agrorum fines diſterminet. Tale quoque ſignum eſt Iris, non quidem ab hominibus, ſed à Deo inſtitutum: quo admonemur, mundum porrò aqua non eſſe perdendum. Sicut lapis ex natura ſua non definit agros, ſed ex hominum conſenſu: ita Iris non ex propria ſua natura, ſed ex pacto & promisſione divina ſignum facta nobis eſt mundi non amplius diluuio perituri. Sed de artificialibus ſignis poſteà; nunc de naturalibus agemus.

Si Cometa ſignum eſt naturale ſupra poſitarum rerum, neceſſarium eſt, ut vel ſit cauſa rei ſignificatæ, vel eiusdem effectus, vel quiddam ab eadem illa cauſa profectum, â qua res ſignificata itidem efficitur. Si quis ex eorum numero, qui docti videri volunt, Cometam facit naturalem cauſam bellorum, quæ conſequentur, aut rerum aliarum conſimi-

lium; ſatis probat, ſe inſcientem eſſe, aut de his rebus minimum cogitaſſe. Quibus enim machinis efficiat vapor iſte ardens, ut armis concurrant mortales ad mutuam cædem? Difficile hîc eſt, vel fingere aliquid veriſimile. Attamen conati ſunt aliqui modum exponere. *Cometa*, inquiunt, *de ſententia Ariſtot. efficiunt aëris ſiccitatem & caliditatem. Ab hac conſtitutione corpora exſiccari, inflammari, & omninò graviter lædi oportet: maximè debiliora & delicatiora. Hinc ergo bella & morbi peſtilentes ſuſcitantur, Principumq; mortes conſequuntur. Etenim hi præ aliis delicatè viuunt, in ocio degunt, victus ratione praua vtuntur, & nec laboribus, nec aeris injuriis præferendis ſe aſſuefecerunt, quo circa citius aliis patiuntur. Hinc bile in eis aucta, humoribusq; inflammatis, facilè irritati excandeſcunt, & bella mouent. Facilè quoq; ægrotant, & pereunt ob eandem cauſam.*

Ad *bella* quod attinet, vix puto quenquam inueniri adeò vecordem, qui credat ob aëris ſiccitatem & calorem ſic augeri bilem in Principibus, vt bellica meditentur, claſſicumq; ob id canere jubeant. Primum enim facilius cauent ſibi ab æſtu, quàm alii. Deinde, plus coaceruarunt crudorum, quam bilioſorum, humorum. Tertiò, non ſine conſilio bella inchoant. Non eſt autem neceſſarium, vt qui à conſiliis ſunt Principibus, omnes eodem temperamento præditi ſint. Denique non minus inter ſe priuati, quam Principes, plus ſolito depugnarent. Quam porrò felices eſſent mortales, ſi à bile duntaxat, in Principum corporibus coaceruata, bella omnia orirentur? Pauculo enim Rhabarbaro aut roſarum ſucco, totam hanc peſtem exſtinguere poſſet prudens Medicus. Sic & ab hominum ceruicibus tantum periculum auerteretur, & immenſis pariter ſumptibus parceretur. Rara certè bella, ne dicam nulla, oriuntur ex eo, quòd corpora noſtra calidiora & ſicciora fiunt. Injuriæ,

tiæ, invidiæ, odium, ambitio, dominandi libido; auaritia, & hujus generis aliæ cupiditates, bellorum cauſæ plerumq; fuerunt, ſunt, ac in poſterum erunt.

Quoniam ergo nemo exſtitit, qui extra dictam rationem potuerit aliam excogitare aut fingere, qua probabiliter Cometas ſuſcitare bella doceret; atque hæc ipſa, quæ recitata fuit, nec veriſimilis eſt, nec vera: manifeſtum eſt, eos bellorum cauſas nullo modo eſſe poſſe. Non eſt enim imaginabile, quomodo vapor aut halitus per aërem fuſus animos Regum ad bella, quæ ſine longa deliberatione, & exacta omnium circumſtantiarum conſideratione, vix unquam ſuſcipiuntur, per ſe incitare valeat. Non enim qui iraſcitur, mox etiam bello aggredi alios ſolet.

Atque ridiculi ſunt, qui cauſas *interitus Principum* eadem ratione ducti ponunt: licet multi ex Principibus vehementer ſibi timeant; quoties Cometam apparere audiunt, aut vident. Conſtat Principum corpora non magis ab aëris ſiccitate & caliditate lædi, quàm aliorum hominum. Nec minus conuenit Hippocratis dictum Principibus, quàm plebejis, quo *naturarum alias ad æſtatem, alias ad hyemem, melius ac deterius habere* affirmat. Notum eſt, pleroſque Principes in ocio viuere, crapulæque ſic eſſe deditos, ut crudorum & frigidorum humorum plus colligant, quàm calidorum & ſiccorum: & proinde à calida & ſicca aeris conſtitutione multò magis iuuari, quàm lædi, eos oportet. Nulli etiam homines ſunt, qui facilius quamlibet aeris intemperiem cauere poſſint. Nulli certè minus à Solibus torrentur, aut à frigoribus affliguntur; cum ædificiis, veſtitu, rebus aliis incommoda aeris facilè vitent. Denique falſum eſt, ſiccas conſtitutiones, quas Cometarum apparitiones ſequi concedunt, inſalubres & mortiferas eſſe. Etenim & perpetua omnium ſeculorum experientia, & ratio,

tio, & tum Hippocratis, tum præſtantium omnium Medicorum authoritas, conſenſus, obſeruatio demonſtrant, *ſiccas aeris conſtitutiones pluuioſis ſeu humidis eſſe ſalubriores*, ὑγιεινοτέρας καὶ ἧσσον θανατώδεις, ut loquitur Hippocrates. Vt nota nunc dicam, annis 1556. & 1558. duo Cometæ exſtiterunt; & uterque annus calidus & ſiccus, maximeque ſalubris fuit.

Si reſpondet aliquis, *non excedentem ſiccitatem, ſed mediocrem ſalubrem eſſe*; facilis omninò eſt reſponſio. Primùm enim ſalubriores ſunt ſicciores intemperies humidioribus, niſi prorſus ad ſummum usque aſcenderint. Confert enim Hippocrates inter ſe non tantum mediocres, ſed & vehementiores. Deinde nec in regionibus noſtris, nec aliis in locis, quantum ex ſcriptis aliorum diſcere potui, immenſa adeò ſiccitas unquam poſt Cometam ſequuta eſt, quæ peſtifera vel Principibus vel aliis fuiſſet. Quare nihil aliud ſunt hæ rationes, quàm aniles fabulæ. Non obſtat, quod *aliquando videtur Cometa peſtem prændicare poſſe.* Nam tunc, ut mox audiemus, non conſequitur ſiccitas. Deinde non magis (imò multò minus) minitabitur Cometa mortem Principibus, quàm aliis cunctis. Etenim peſtis non facilè unquam initium ſumſit à Palatiis Regum, ſed pauperum caſulas & ſordida loca plerunque primò inuadit: quod & ratio demonſtrat, & certa experientia comprobat. Fuga igitur ſibi maturè conſulunt (quod factu ipſis facile eſt) & remediis oportunis noxium aerem magis arcent, & ab infectis minus contaminantur, dum aditum ſuſpectis omnibus negant.

Sed quid hîc opus eſt verbis? conſideremus proxima nobis. Anno 1558. Cometa nobis apparuit (ſi eum, qui nunc fulget, excipias) ultimus. Ab hoc tempore quot ſunt mortui principes ſummi, quibus nullus præluxit Cometes?

Primum

Primum Carolus Imperator, Ferdinandus ejus frater, & ſucceſſor hujus filius Maximilianus, Rex Poloniæ, Reges duo Galliæ, Rex Hiſpaniæ Philippi filius, Rex Scotiæ, ſi non fallor, Turcici Imperatores duo, Rex Transſyluaniæ, Papæ aliquot & Principes Itali, Otto Henricus & Fridericus Com. Palatini, Elect. Chriſtophorus Friderici filius, Wolffgangus Bipontini Dux, Vuitenbergenſis Dux Chriſtophorus, Eberhardus ejus filius, Dux Saxoniæ Johan. Wilhelmus, Dux Henricus Brunſuicenſis, Dux Megaloburgenſis, Dux Pomeraniæ Barnimus, Elector Joachimus Brandeburgenſis, Carolus & Philibertus Marchiones Badenſes, & alii, quorum nunc non recordor. Quot etiam apparuerunt Cometæ, cum aliquot annis poſt nullus eſt mortuus Princeps illuſtris & clarus, cujus obitum videri potuerint ſignificaviſſe? Quis non apertè videat, non minus accidere mortes Principum apparitionibus Cometarum, quàm nobis accidit hoc vel illud cogitare poſt nouam aut plenam Lunam?

Supra quoque audiuimus, tum alia ignita Meteora, tum traiectiones ſtellarum, eandem cum Cometis habere generationem: niſi quod iſtic materia, quàm hîc, parcior, rarior, tenuior. An igitur quia ſtellæ diſcurrentes meteora ſunt minora, ſic portendere inferiorum hominum interitum dicemus, quomodo Cometas Principum exſtinctiones præmonſtrare aiunt? Si affirmabimus, ridebimur: Si negabimus, erga Naturam vel hîc vel illic injurii ſumus. Similis ratio eſt aliorum quoque ignium in aere vel ſupremo vel imo orientium, ſi analogia ſeruetur. Cur ergò Cometis ſolis hanc prærogatiuam tribuunt? Quia, inquiunt, *experientia docuit, calamitates ſequi.* Sed cædem aut ſimiles conſecutæ ſunt etiam res alias: & euenerunt eædem, adeoq; majores, cum nihil tale præceſſiſſet. Tenenda hic nobis

eſt regula certisſima: *Non quicquid poſt aliud ſequitur, ab eo, quod praceſsit, efficitur.* Niſi enim ita eſſet, quicquid poſt plenilunium (exempli gratia) homines agunt, plenum Lunæ lumen perfeciſſet. Quod omnium, quæ fingi poſſunt, longè abſurdisſimum eſt dictu.

Oſtenſum eſt dilucidè, *Cometas non eſſe cauſas bellorum, & interitus gentium, aut mutationis Regnorum; nec vim aliquam peculiarem obtinuiſſe necandi Principes.* Clarè quoque patet, *eos neq; peſtem neq; annonæ caritatem invehere*, ſi verum eſt, quod iſti ponunt, nempe *ſiccitatem & aſtum ab ipſis effici.* Jam enim probatum eſt, *à ſiccitate, in noſtris præſertim regionibus, neq; peſtem, neq; alios morbos pernicioſos creari.* Docuit etiam temporum omnium experientia, *ſicciores annos apud nos fœcundos potius, quàm ſteriles exſtitiſſe*: quod proximè præcedentes 1555. & 1558. quibus duobus annis Cometæ duo arſerunt, & 1575, vt reliquos prætercam, ſatis declarant. Certo igitur certius eſt, *Cometas non eſſe cauſas effectrices naturales ſupra enumeratorum malorum.*

*Quod* porrò *neque effectiones quædam ſint Cometæ jam ſæpius commemoratarum calamitatum*, patet. Qua ratione enim bellum, Principis alicujus mors, peſtis, vel aliud aliquod ex ſupra recitatis malis, Cometam pariant, imaginabile non eſt. Taceo, quod cum hypotheſi pugnat. Omnes enim ponunt toties dicta mala poſt Cometas ſequi, non antecedere, aut ſimul evenire. At effectus non præcedit cauſam. Qui contra ſentit, perinde facit atque is, qui hominem quempiam neque natum, neque conceptum auſit affirmare præclaras neſcio quas res geſsiſſe. Talia dicenti reſponderis rectè, quod vulgò dicitur, *capra nondum peperit, & hædus tamen ſaltat in tectis.*

Sed *nec eadem poteſt, tum Cometarum, tum enumeratorum malorum cauſa communis fingi.* Cometarum cauſa eſt copia ſiccæ

ſiccæ exhalationis ad ſupremam usque aeris regionem ſublatæ bellorum, mutationis imperiorum, interitus vrbium & Principum, cauſæ longæ aliæ ſunt: quod neſcire nullus poteſt. Exhalatio, quæ Cometis alimentum & materiam præbet, à calore tum ſiderum tum in terræ viſceribus incluſo generatur, atque in altum & ſponte ſua fertur, & à calore ſiderum attrahitur. Quæ ſi bellum creare debet, mille alias cauſas accidentales cum ea concurrere oportet.

Ergo cum Cometæ neque cauſæ ſint bellorum, interitus Principum, excidii urbium aut gentium, aliarumque rerum talium, neque effectiones, neque ab eadem cauſa tum Cometæ, tum prædicta manarint unquam; impoſſibile eſt, vt talium rerum ſigna naturalia eſſe atque dici poſſint. Quicquid enim naturaliter rem aliquam ſignificat, id neceſſariò eſt, vel cauſa ejusdem illius rei, quam ſignificat, vel effectus, vel eandem & communem cauſam habent ſignum & ſignatum. Quarta connexio, qua res aliqua naturaliter à ſe aliud ſignificare poſſit, non datur. Auſter exempli gratia, ſpirare incipiens ſignum eſt ſecuturæ pluviæ, quia cauſa ejus eſt. Fumus ſignum eſt ignis, quia ab igne producitur. Iris veſperi apparens ſignum eſt ſerenitatis, quia cauſa, quæ facit vt iris veſperi appareat, eadem ſerenitatem quoque efficit.

*Quidergò*, (inquiat fortaſſe aliquis) *an Cometa rei nullius naturalis cauſa eſt, vel effectus?* Non inficior, Cometas ſigna eſſe naturalia certarum rerum; ſed nuper dictarum ſigna naturalia eſſe nego, adeoque pernego: & diuerſum nullis argumentis probari poſſe, incunctanter affirmo. Vt autem, quid ſignificare naturaliter poſſint, perſpiciatur, conſideranda eſt eorum natura. Sic enim intelligemus, aerem, dum Cometæ fulgent, ſiccis halitibus plenum eſſe. Equidem Cometa non ex pauca exſpiratione, ſicut alia

quædam ignita meteora, naſcitur. Quanto majores, diuturniores, & ſplendidiores apparent, tanto plures halitus & denſiores in aëre contineri oportet. Veriſimile quoque eſt, infernè ſubinde alios aſcendere, & accenſam flammam alere: quod Ariſtoteli etiam viſum eſt. Denique ambigi non poteſt, quin illa in aëre flamma longè etiam diſsitos, & per aerem diſperſos halitus vndique ad ſe congreget. Qui enim exhalatio multis aliquando menſibus ignem ſuſtineret, ſi non continuè materiæ ex omnibus partibus aliquid accederet? Quocirca verum omnino eſt: *Cometas majores aut longiore tempore durantes indicare nobis, aërem ſicca & denſa exſpiratione refertum fuiſſe.*

Hujus, quæ accenſa eſt, quin pars maxima ſemper à flamma conſumatur, id eſt, rarior magiſque aerea fiat, lentoreque ac pinguitudine ſua ſpolietur, adeoque in purum aerem vel ignem transmutetur, dubitare non poteſt, qui de his rebus ſeriò cogitauit. Verum non de his quæritur, ſed de illis, quæ per aerem fuſæ ac diſperſæ ſunt, dubitatur. Has vel conſumit Cometæ ignis, vel non conſumit. Quoties tantiſper durat, dum maxima earum pars à flamma conſumpta eſt, ventos nullos expectabimus. Si autem exſtingui Cometæ flammam contingat, priusquam ab exhalationibus repurgatus ſit aer humilior (quod ſanè aliquando contingere, admodum eſt rebus conſentaneum) nemo mirabitur, ſiccitatem ac ventos ſubſequi. Quippe relicti halitus, quia grauiores erant, quàm ut tolli ad Cometæ locum vſque ſtatim poſſent; & ſicciores ac rariores, quàm vt in pluuias cogi ac denſari quirent; velut in medio ambigunt, & ſiccum aerem reddunt, ventóſque mouent. Hi ſi diutius in aere inferiore permaneant, & à ſubſequente aeris conſtitutione non diſpellantur, facilè putreſcent, ac peſtifera qualitate aerem contaminabunt; præſertim ſi

multi

multi interim de terra vapores ſurgant, pluviæque frequentiores accedant. Indicant igitur aliquando peſtem, at non efficiunt. Indicium autem hujus rei perobſcurum & incertum præbent, quod minimè neceſſarium ſit, etiam inferiorem aerem exhalationibus diſſertum eſſe, quoties ſupremus iis repletus eſt. Tunc ferè accidit utramque partem ab eis occupari, cum diſpares admodum halitus ſimul aſcendunt, nec ſimiliter in altum omnes tolli poſſunt. Et peſtis quidem, fructuumque terræ corruptiones, tunc ferè conſequuntur, quando paucis annis multi apparent. Ab anno 1300. usque ad 1315. apparuerunt octo, & penultimus tribus menſibus duravit. Antea quoque, nempe ab anno 1000. ad annum 1007. quinque conſpecti ſunt. Mirum non eſt, ſi tunc à perpetua exhalationum per aerem diſperſarum copia Cometæ pariter & aeris putredines, indeque frugum corruptiones, ac hujus generis alia mala orta ſunt. Quippe pars levior, calidior, concipiendæ flammæ aptior, altius euecta, generationi Cometæ materiam & occaſionem ſuppeditat: pars craſsior in ima regione ſubſiſtens corrumpitur: aeremque variè contaminat. Facilè, niſi me animus vehementer fallit, ex recitatis perſpicitur, *quomodo Cometæ ventos, ſiccitates, annonæ caritatem, peſtem, aliosq; ex putredine morbos præmonſtrare aliquando poſſint.* Etenim neque cauſæ, neque effectiones ipſi ſunt talium rerum; ſed à communi cauſa, ſcilicet exhalationum copia, tum hæc, tum Cometæ proficiſcuntur. Minus autem certitudinis hæc etiam præſagitio habet; quia nec ab eadem prorſus exhalatione utrique effectus oriuntur, nec in eodem loco producuntur.

Cometa igitur, id eſt, pars halitus accenſa (quæ plerumque diſcutitur) non eſt cauſa aut ventorum aut pe-

ſtis, cum propriè loqui volumus; ſed vapores & halitus alii per aerem diffuſi, qui à Cometæ flamma abſumpti non ſunt. Ab eadem igitur cauſa tum Cometa, tum peſtis & venti oriuntur: qua etiam ratione ſignum peſtis aut ventorum dici poteſt. Certum eſt interim, *rariſſimè admodum aërem poſt Cometæ exſtinctionem non puriorem eſſe, quam antea fuiſſet.* Quomodo enim non eſſet purior, qui tanta ejusmodi halituum parte liberatus eſt, quanta tot dierum ſpatio ab igne conſumi potuit? Quanto igitur Cometæ majores, & diuturniores, & lucidiores ſunt; tanto majorem halituum copiam diſsipant, aeremque exactius purgant. Quod cum non fit, ac relicti in aere halitus acceſsione peregrini & contrarii vaporis putreſcunt, non malè conjicit, qui putredinem aeris & pernicioſos inde morbos naſcituros metuit. Et ſi quis ex inſpectione Cometæ hoc percipere poſſet, huic certè ſignum eſſet minimè contemnendum ſuccedentium malorum. Sed quia non eſt perpetuum, adeoque raró fit, ut, cum aer ſummus completur halitibus ſiccis, etiam inferior grauioribus & putredini obnoxiis inferciatur, incerta eſt omnis hinc ſumpta conjectura.

*Quid ergo*, dicet fortaſsè aliquis: *fruſtrâne Cometæ toties nobis in ſublimibus apparent? Quod ſi nec cauſæ ſunt, nec ſigna ullius rei, fruſtra certè ſiunt..* At *Deus & Natura nihil faciunt fruſtra. Sic enim ſcribit alicubi Ariſtoteles:* ὁ θεὸς καὶ ἡ φύσις οὐδὲν μάτην ποιοῦσιν. *Præterea nimis eſt audax facinus, negare vim omnem ſignificandi Cometis, quia ratio ejus rei nulla nobis occurrit. Permulta enim ſunt, quorum uſu & operationibus carere vix, imò potius nullo modo, poſſumus, tametſi operationum, quibus nobis proſunt, cauſas nunquam intellexerimus. Non omnia ratione inveſtigantur & inveniuntur, ſed plurima reperit uſus, (quædam etiam caſus) & probauit experientia. Eadem enim per tot iam ſecula demonſtraverit Cometarum apparitic-*

*paritionem, ſubinde comitari aut conſequi inſignes calamitates, non pro nihilo ducenda eſt tam longa, tam diligens, tamq; accurata obſervatio. Meritò igitur cedit hoc in loco experientiæ ratio.*

Speciosè & probabiliter magis iſta dicuntur, quam verè. Primum enim non ſequitur, Cometas fruſtra in cœlo vel aere lucere, quia non præmonſtrant nobis calamitates, quarum ſupra facta eſt mentio. An enim alium uſum præſtare non poſſunt? Sed nec illud ſequitur, nullius ipſos rei cauſas vel ſigna eſſe, quia non ſunt horum malorum cauſæ vel ſigna. Quoniam multa alia tum efficere, tum ſignificare poſſunt. At *non ſcimus, quænam alia vel efficiant vel ſignificent.* Fateor, ſæpè nos, quid res aliqua poſsit, aut cujus rei gratia facta ſit, compertum non habere. Quis enim eſt, qui ignitorum Meteororum omnium, & eorum inſuper, quas ἐμφάσεις & φαντασίας Ariſtoteles nominat, uſum ſigillatim explicare poſsit? Taceo alia, quæ Philoſophi materiæ & efficientis, non autem finis, neceſsitate fieri ſcitè docent. (Qui vult, caput 1. libri de generat. animal. 5. conſulat.) An fruſtra ob id à Deo facta omnia talia dicemus? Minimè gentium. Fruſtra fit, quod cum uſum non præſtat, aut non poteſt præſtare, cujus cauſa factum eſt. Si demonſtrabitur, à Natura Cometas ideò fieri, ut prænuncii ſint malorum prædictorum, ſublata eſt è medio omnis de hac re diſquiſitio.

Modi probandi duo ſunt: Ratio & ſenſus ſive experientia. Ratione non ſolum non poteſt oſtendi, ſed contrarium expreſsè demonſtratum jam eſt. Pugnat enim cum tota natura Cometarum, ut ejusmodi vel efficiant vel indicent. Quo poſito, certum eſt, experientiam fruſtra prætendi. Quomodo enim res aliqua ſæpius id ipſo facto peragere viſa ſit, quod facere naturaliter, ſive ex naturæ ſuæ viribus,

non

non poteſt? Supra etiam patuit, Cometarum & ignitorum Meteororum aliorum eandem eſſe materiam & naturam, nec differre, niſi loco, & poſitu ſeu diſpoſitione exhalationis. Cur non igitur idem in aliis quoque obſeruatum fuiſſe dicunt? Aut omnibus, ſervata proportione, vis ſignificandi eadem adſcribenda: aut cauſa adferenda erit, cur ſolis Cometis ea competat. Quam cum in natura eorum fruſtra veſtigaturus ſis, (eſt enim omnium eadem, vel Ariſtotele teſte) non eſt cur ſperes te eam in accidentibus, quorum nunc memini, reperturum.

Altera objectio æquè infirma eſt. Etenim non omnem vim ſignificandi Cometis detrahimus. An non enim ſupra faſſi ſumus, poſſe eos nonnunquam ſigna eſſe peſtis, ſqualoris, ventorum, corruptionis frugum? Infrequens hoc eſt, fateor: at perpetuum hoc eſt, ut magnam exhalationum copiam de terra in aërem ſubvectam eſſe indicent. Et hæc quidem ex natura ſua indicant. Iam & ex pacto ſi quis eos denunciare aliquid contendat, ne hîc quidem rixabimur. Concedo illud etiam, multa uſum reperiſſe, quæ ratione perveſtigabilia non erant, quorumq; cauſæ, ne nunc quidem perveſtigabiles videntur. Magnetem ad ſe ferrũ attrahere, Rhabarbarum corpora purgare, vſus docuit, non ratio. Quinimò poſt tot jam elapſa ſecula nemo adhuc inuentus eſt, qui veras & proximas horum euentuum ſeu operationum cauſas invenerit. Quæ aliqui protulerunt, eruditorum animos non explent. Vtinam verò non reperirentur plurima talia in artibus omnibus. Sed qui hæc nobis objiciunt, ſententiam noſtram non aſſequuntur, nec intelligunt aliud agi, cum quæritur, propter quam cauſam Cometæ præindicent calamitates expoſitas? quam cum quæritur: Vtrum eas præmonſtrent. Qui cauſam reddere ſtudet, cur Rhabarbarum bilem vacuet, is pro confeſſo omnibus ponit, Rhabarba-

barbarum bilem detrahere. At qui hoc agit, ut Rhabarbarum probet bilem deducere, is dubitari adhuc putat, vtrum ita res habeat. Non hoc poſtulamus, ut cauſa explicetur, propter quam Cometæ infortunia illa denuncient. Non enim concedimus, eos hac natura præditos, vt naturaliter quid ejusmodi posſint ſignificare. Si tàm certi eſſemus, Cometas infelicitates nobis certas præfigurare, quàm certò novimus Herculeum lapidem ſua quadam vi ferrum ad ſe attrahere, nullam ejus rei probationem peteremus. Hoc quærimus, & oſtendi nobis cupimus, vtrum Cometæ prænuncient ſupra dictas miſerias? Non poſtulamus nobis prænunciationis hujus, de qua nobis nihil conſtat, cauſas explicari. Vt non rectè facit, qui pro confeſſo accipit, quod maximè dubium eſt, probationeq; præcipuè eget; ita imprudenter agit, qui rationibus aſtruere conatur, cujus oſtenſionem nemo requirit. Cum cauſam indagamus, propter quam Rhabarbarum corpus purgat, non hoc petimus, ut probetur nobis, ipſum hoc facere. Quoniam experientia & ſenſus nos hoc docuerunt; illud ratione demonſtrari oportet. *At multorum ſeculorum*, inquis, *experientia probavit*. Audio quidem iſta dici, ſed vtrum verè dicantur, conſideremus.

Experientia eſt rei ejusdem ſæpius eodem modo factæ obſeruatio, aut memoria. Qui ſemel aut bis aut ter aliquid vidit fieri, is nondum experientiam habere dici poteſt, niſi ſæpius viderit. Eſt enim experientia duplex: Propria & impropria. Illa eſt certa, conſtans, perfecta; Galenus διωρισμένην πεῖραν nominat: hæc imperfecta eſt, confuſa, incerta, lubrica, & à Galeno ἀδιόριστος & σφαλερὴ vocatur. In hac magnum eſt erroris periculum διὰ τὸ ἀδιόριστον, (de quo præclarè Galenus lib. 2. de dignot. ex pulſib. cap. 2. diſſerit) & proinde pro experientia non rectè habetur. Oritur experien-

perientia omnis à ſenſibus. Quoties hi diſtinctè & apertè obſeruarunt aliquid ab aliqua re ſæpè fuiſſe effectum, dicimur ejus rei experientiam habere. Si cum diſtincta & manifeſta ſenſione concurrat λογισμὸς, ſeu ratio idem hoc firmè comprobans, quod ſenſus rectè perceperunt; non tam crebra opus eſt obſeruatione ad certæ experientiæ acquiſitionem. Si obſcurè & dubiè ſenſus de eventu aliquo iudicet, nec ratio euidens ſenſus iudicium confirmet; hoc eſt, ſi actio aliqua ab occulta & latente cauſa proficiſcatur; experientiam certam ante non habebimus, quàm ſæpiſsimè eundem illum eventum eodem modo ab eadem cauſa produci clarè deprehenderimus. Tria hîc requiruntur, quorum ſi vel vnum deſit, neceſſe eſt experientiam eam impropriè & falsò ita nominari, ac nil aliud, quam opinionem ſeu imaginationem fallacem & incertam eſſe. Primum iam dictum eſt, vt nempe frequenter viderimus idem eodem modo fieri. Alterum, ut ab alia nulla cauſa præſente effici potuerit, quam ab ea, quam nos cauſam eſſe exiſtimabamus. Tertium, vt non pugnet cum rerum natura & euidentia, effectum talem à cauſa tali produci ac ſignificari.

Videamus iam quomodo hæc inſtituto noſtro de Cometarum ſignificatione accommodemus. *Cometas* dicis *eſſe indices maximorum malorum*, de quibus initio diximus. Quæro, vnde compereris ita eſſe? Rationem fruſtra tentabis adferre, cum tota eorum natura contrarium demonſtret, ac fieri nullo modo poſſe probet, vt illorum aliquid naturaliter denuncient. Sequitur igitur, vt vſu & experientia, ſiue ſenſu, cognitum deprehenſumque fatearis. Si ne hoc quidem modo teſtatum facere poteris, nullo probare modo poteris. Nam duo hæc ſola κριτήρια habemus. At *multorum*, inquies, *ſeculorum obſeruatio probauit ſic habere.* Quæro iterum, vtrum experientia certiſsimè ſic deprehenderis,

deris, Cometas indicauiſſe illa mala, vt tam non poſſit negari, quàm negari non poteſt, Magnetem ferrum ad ſe pertrahere, aut Rhabarbarum corpus purgare? Si negabis, ad experientiam fruſtra prouocabis: ſi affirmabis, quam multa te oppugnent, vide. Primùm maxima eſt Cometarum diſcrepantia ratione magnitudinis, figuræ, motus, loci, in quo oritur, in quo diſſoluitur, in quem radios aut crines porrigit, durationis: quæ omnia facultates eorum plurimum videntur mutare. Deinde, non omnes Cometas inſecuta ſunt illa infortunia; ſed aliqui ſalutares fuiſſe ſcribuntur. Tertiò, non eadem mali ſpecies ſecuta ſemper fuit, ſed aliquando fames, alio tempore peſtis, interdum mors Principis alicuius, aliàs aliud malum ſubſecutum legimus. Quartò non eodem temporis ſpacio euenerunt. Sæpè Cometæ attribuuntur, quæ poſt multos annos acciderunt. Quintò non eodẽ loco contigerunt: nec quo loco euentura eſſent, quiſquam certò prævidere potuit. Clare his probatur, primam conditionem veſtræ experientiæ non adeſſe. De ſecunda quid, eſt opus dicere? Quæ poſt Cometas orta ſunt mala, & ab eis ſignificata credita ſunt, ex ſignis aliis propioribus, & longè certioribus, indicata & cognita plerunq; fuerunt.

Exempli cauſa dicam de vltimo. Magno hiatu pronunciant aliqui, *eum deſignaviſſe tumultum illum in Belgio*. At ex aliis certisſimis, notisſimis, ac propriis indiciis omnia tum videbantur præſentia; & præcognoſcebantur futura. Nullus certè non plura ex his, quàm ex Cometæ denunciatione, vidit facta, & futura adhuc proſpicit. Parum certè ſapit, qui belli hujus cauſam in aëre & ſideribus potius quærit, quàm in ipſis rebus; hoc eſt, in hominum conſiliis & factis. Tertia conditio evertit omnia funditus, ut quæ non abſit ſolum, ſed indiſſolubili argumento omnem illam vim ſignificandi, de qua hîc agimus; adimat: Quicquid

enim naturaliter aliquid ſignificat, vel eſt ſignificati cauſa, vel effectus, vel utrumque ab eadem cauſa productum quid exſiſtit. Cæterùm naturæ & ſubſtantiæ Cometarum repugnat, ut vel efficiat illa mala, vel ab eisdem efficiatur. Aliquando tamen contigiſſe fortaſsè potuit (utrum contigerit, incertum eſſe ajo) vt exhalatio aliqua ex eis (non omnia) unà cum Cometa produceret. Quæ cum inficiari nullus pudens & prudens poſsit, perſpicuè vides, experientiam non facere Cometas illorum infortuniorum prænuncios. Sed ne ratio quidem eis adſcribi patitur. Fieri ergo non poteſt, vt prædicta infortunia naturaliter mortalibus annuncient.

De naturalibus ſignis ſatis multa, de artificioſis aliquid addendum. Quid vocemus *artificiale ſignum*, retrò diximus. Sunt hæc duorum generum, *humana* & *diuina*. De *humanis* nihil eſt opus dicere, cum non ſit in hominum poteſtate Cometas excitare, & in certa aliqua cœli parte collocare, ut certi eis aliquid ex pacto & conſenſione ſignificent; ſicut Terminum certo loco ad diſtinguendos fines ponere poſſunt. *Divina* ſigna duplicia iterum ſunt. Quædam enim certam habent & à Deo expreſſam ſignificationem: quædam generalem notationem habent, ſpecialem aut ſingularem nullam. Ex horum ordine, ad quem monſtra quoque, prodigia, oſtenta, & inuſitatè præterque communem naturæ curſum evenientia, pertinent ferè omnia) ſunt Cometæ. Horum ſignorum peculiarem indicationem nulla arte, nulla ratione, nulla methodo cognoſcere poſſumus: ſed ab illis ſolis intelligi & cognoſci poteſt, quibus Deus patefecit. Eſt enim hæc artificialium ſignorum natura, vt non aliter, quàm ex pacto ſignificent. Quare hoc ſolum ex Cometarum apparitione diſcimus, nos à

Deo

Deo excitari & moneri, vt vitam emendemus, peccatis reſiſtamus, vera pœnitentia ad Deum confugiamus. Significant vniverſim & in genere; iram Dei aduerſus ſcelera noſtra exardeſcere: licet ſpeciatim non indicent, quo pœnarum genere, & quos potiſſimum caſtigare decreverit.

Summa dictorum eſt: Cometæ ſi ſunt ſigna naturalia bellorum, ruinæ imperiorum, excidii urbium, interitus Principum, mutationis Religionum, &c. neceſſarium eſt, vt vel cauſæ jam dictarum rerum ſint, vel effectus, vel à communi cauſa efficiantur. At nullum ex his de eis verè dici poteſt. Quare nullo pacto naturalia prædictarum rerum ſigna cenſeri debent. Quid naturaliter ſignificare ſoleant ac poſſint, expoſitum ſimul fuit. Reliquum igitur eſt, ut ſint ſigna artificioſa: non humana quidem, ſed diuina. Et cum ex eorum genere ſint, quorum ſpecialis ſignificatio nobis à Deo reuelata non eſt, generali ſignificatione iræ Dei adverſus peccata noſtra accenſæ contenti eſſe debemus. Quòd ſi hoc pacto moniti reſipiſcemus, & ad Deum ſeriò convertemur, tum demum & iram Domini à nobis avertemus, & rectè ſancteque de hoc portento ratiocinatos nos fuiſſe, perſpiciemus. Ergo non negamus, Cometas infortunia & calamitates denunciare: ſed naturaliter talia indicare conſtanter negamus, & argumentis inſolubilibus probamus. Deinde aſſerimus, non poſſe quenquam certò prædicere, cui populo aut regioni infortunium aut caſtigationem comminetur, aut quo pœnæ genere ſpeciatim Deus punire nos conſtituerit, niſi Deus id alicui peculiariter reuelauerit. Quæ Porphyrius & Aſtrologi huc pertinentia effutiverunt, indigna ſunt, quæ confutare aliquis tentet: cum & olim deriſa, & à nullo erudito credita ſint. Veram hanc de Cometarum ſignificationibus ſententiam noſtram

veris certisq; argumentis ex ipſa rei natura petitis confir-
matam, cum refelli non poſſe quidam videant, carpere
nihilominus audent, quaſi aliquid magnopere huc perti-
nens omiſſum ſit. Etenim *Cometas*, aiunt, *talia præmonſtra-
re, non inſitis in natura ſua viribus, ſed adventitiis, ut ſigna
ſint quodammodo artificioſa potius, quàm purè naturalia. Ete-
nim accipere eos poteſtatem certi aliquid præindicandi ab illo
ſidere, à quo materia illa attracta ſit & recta.* Quam futilis
ſit hæc reprehenſio, planum fiet ex dicendis: ſi cui ex ante
dictis non liquet. Reprehenſores iſti perinde agunt, ac ſi
credere ipſis teneremur dictantibus, omnes Cometas vel
comam, vel barbam, vel caudam, certo alicui ſideri vel ſtel-
læ facere: quo tamen falſius vix dici aliquid poteſt. Etſi e-
nim hoc aliquando factum ſcribitur; plerunque tamen
Cometæ per ſe conſiſtunt, à ſidere nullo reguntur. Cum
ſideri comam faciunt, cum eodem mouentur, oriuntur, oc-
cidunt, circumaguntur: cum per ſe conſiſtunt, incerto ad-
modum motu feruntur ſurſum, deorſum, antrorſum, re-
trorſum, ad latera, &c. Quod ſi in eo, qui etiamnum ap-
paret, licet obſcurè, (nondum enim ex toto abſumpta eſt
eius materia) non viderunt, tolerabiles fortaſſe ſint: ſi vi-
derunt & diſsimulant, apertè malitiam ſuam produnt. Fal-
ſum non minus eſt illud etiam, quod tanquam verum &
confeſſum inſcitè ſibi ſumunt, *ſidus aut ſtellam aliquam vir-
tute hac præditam, vt præindicare mortem principis alicujus
(exempli cauſa) poſſit.* Quod ſi illis daremus, nihilominus
incertum maneret, an hanc ſuam virtutem per Cometam
magis, quàm per alia, exſereret. Quid enim habet Co-
meta, propter quod aere ac meteoris aliis ignitis aptior &
habilior cenſeri poſsit ad recipiendum influxum hujus ſi-
gnificationis? Si materiam ſpectes, nihil invenies: ſi
flammam conſideres, incaſſum hîc quoque laborabis.

Quæ

Quæ nunc diximus, eorum ſumma hæc eſt. Stellæ o- „ mnes ſunt cauſæ univerſalisſimæ, ſed particularibus iſtis „ facultatibus præditæ non ſunt. Si etiam talibus ornatæ „ fuiſſent poteſtatibus, transfundere in res alias non poſſent: „ quod alibi argumentis inſolubilibus demonſtrauimus. Halituum quoque cauſa non ſunt ſola ſidera, ſed multò magis calor in terræ viſceribus concluſus, qui ſic ferè ſubterranea mouet, alterat, coquit, mutat, extenuat, in vaporem fumumq; vertit, quomodo calor animalium in viſceribus inſitus facit. Nec apta eſt exſpiratio hæc de terra ſurgens, quæ tales ſignificationes recipiat. Cum enim ſit naturale corpus, ſupra naturam indicare nil poteſt, niſi à ſubſtantia intelligente ad id deſtinata cógitetur. Poſtremò certiſſimum eſt, pleroſque omnes Cometas, inſtar huius, qui nondum eſt omninò diſſolutus, ſideri aut ſtellæ nulli appendi: ſed tum ſuo, tum ſupremi aeris motu impetuq; ferri. Quocirca impoſſibile eſt, quod iſti ſomniant, Cometas vires tales à certo ſidere, à quo materia surſum tracta ſit, mutuari. Die 9 Ianuarij. 78.

# ANDREAE DUDITHII,
Conſiliarii Cæſarei,

# EPISTOLA

*AD*

JOANNEM CRATONEM

*DE*

SIGNIFICATIONE
COMETARUM.

# ANDREAS DVDITIVS
## IOANNI CRATONI S.

QVæris, Vir Clariſsime, quid de Cometarum ſignificatione ſentiam. Inuidioſa magis, quam difficilis reſponſio eſt, in tanta opinionum varietate: quibus docti homines in diuerſas partes diſtrahuntur. Huc accedit, quod ſi quis non leuibus rationibus, &, quæ rationes, in rebus præſertim particularibus ſenſu atque obſeruatione conſtantibus, ſuperat, experientia adductus, à communi populariq; opinione ſibi diſcedendum cenſet, is à ſuperſtitioſis hominibus, aut ſaltem plus æquo ob cauſarum ignorationem meticuloſis, in horrendum, grauiſsimumq; crimen impietatis vocatur: quorum videtur ſuperſtitió veteri illi Romanæ ſimilis, quæ Cometen, in Deorum numerum relatum, in templo Romæ coluit. Quare equidem tacere conſtitueram, & tuam potius ſententiam exquirere: ad quam meam adjungerem, non enim parum mihi cognita eſt pietas, atque in omni doctrina ingenii, judiciiq; tui præſtantia. Sed quoniam iterum abs te vrgeor, ab alijs etiam ſæpius; dicendum eſt aliquid, vt facilius ſententia tua eliciatur. Etſi non ſum neſcius, quàm variæ, quàm pugnantes de Cometis veterum Philoſophorum ſententiæ fuerint: vt nondum ex abdita illa naturæ obſcuritate planè euolui ejus vis, ac natura potuerit: nos tamen communem, quæ eadem Ariſtotelis quoque fuit, & qui eum magiſtrum ſequuntur, opinionem, hoc loco retinuimus. quam nihilominus, ut non per

omnia ſibi exquiſite conſtare putem, haud leuibus coniecturis impellor. & ſane hæc tota de Meteoris diſputatio, ſi qua in Phyſicis alia, non ſatis habet firmitatis. Quod idem ille ſummus naturæ indagator, Ariſtoteles, ingenue innuit, cùm ſcribit, ἐν οἷς τὰ μὲν ἀπορῶμεν, τῶν δ' ἐφαπτόμεθά τινα τρόπον. Porrò de Cometarum, (ſecus quam multi illo haud paulo inferiores faciunt) generatione contra Ariſtotelem nuper diſſeruit Marcellus Squarcialupus, doctus & acutus Philoſophus, & Medicus. De eſſentia verò eorundem certi quid conſtitui equidem vix poſſe arbitror. Viri certe docti, quos noſtra ætas tulit, etiam ii, qui plus, quam ego fieri oportere contendo, Cometis tribuunt, quid omninò Cometa, vel, ut Cicero vocat, ſtella crinita, vel cincinnata ſit, nondum ſatis ſtatuere poſſunt. Johan. Prætorius meus, Noribergenſis Reip. Mathematicus, & doctrina & bonitate ſingulari, quo ego in Mathematicis magiſtro, domi meæ, aliquot annos uſus ſum, *halitus è terræ viſceribus elatos eſſe,* cum aliis affirmat, verum an accendantur & ardeant; id vero eſt, quod in primis dubitat. In quo Appianum, celebrem Mathematicum, ſequutus eſt. Sic enim ſcribit: *De materia hujus Cometæ non ambigimus, quin fuerit moles vaporum terreſtrium. Sed an halitus iſti accenſi fuerint, me item Appianus dubitare facit. Nam dum radios Cometarum diligenter obſervaſſet, & deprehendiſſet eos Solis ex aduerſo ſemper poſitos eſſe, non dubitauit affirmare, non omnes Cometas accenſos eſſe, ſed quandoque eſſe exhalationem ſubtilem, non inflammatam, ſed lucentem à lumine Solis, cuiusmodi exiſtimat omnes eos fuiſſe, quos ipſe obſeruauit. Hæc ipſius opinio, ſi vera eſt, quemadmodum probabilis eſſe videtur, equidem auſim affirmare, hunc quoque vaporem à Sole illuminatum fuiſſe potius, quàm inflammatum. Nam & coma à Sole auerſa erat, & lumen ipſum illuminationi ſimilius, quàm incendio.* Hæc

Præto-

Prætorius. Ne Paulus quidem Fabricius, Philoſophus & Medicus, ac Cæſareus Mathematicus eximia doctrina ac bonitate, atque in hac diſciplina longo uſu excultus, Peripateticorum ſententiam, quam ſuprà attigi, prorſus probare videtur. Nam Senecam ſequi mavult, quem ait affirmare *Cometam eſſe ſtellam, initio à Deo cum aliis conditam, quem ille, ut ſuam declaret potentiam, ſuo tempore, veluti prænuncians ſignum aliquod oſtendat.* Hieronymus Cardanus, varia doctrina, & mirifico ingenio præditus vir, Mathematicus item celeberrimus, Cometam *globum* facit *in cœlo, qui à ſole illuminatus videtur, & dum radii tranſeunt, barbæ, aut caudæ effigiem formari. Hic igitur,* inquit, *in cœlo, ſi ibi eſt generatio, fieri poteſt: Si non admittatur, dicere neceſſe eſt, quod & verius eſt, cœlum eſſe ſideribus pluribus, ſed non admodum denſis plenum, quod cum aer ſicceſcit & attenuatur, vel etiam aliis ex cauſis, oculis noſtris ſe ſubjicit. Nam quandoque & Venus media die videtur, quam de nouo genitam non eſſe ſatis conſtat.* Idem Cardanus paulo ſupra hunc locum, poſtquam ſcienter demonſtraſſet, quam alte vapores attolli poſsint, ſic concludit: *Satis conſtat locum, qui à Mediolani incola videri debet ſub hyemali circulo, à terra diſtare plus quàm decies altitudo vaporum pertingat. Sed ibi Cometæ videntur à nobis. Igitur non fiunt ex vaporibus, ſed nec ſupra in æthere, cum ibi non ſit materia, quæ accendi poſsit.* Subjicit vir ille doctiſsimus alia quoque huc pertinentia. Atque hæc quidem tres hi præſtantiſsimi ætatis noſtræ Mathematici de Cometa ſcribunt, ut alios multos prætercam. Veterum varietates opinionum quis enumeret? Pythagoræi, ut ex Plutarcho Stobæi collectanea habent, partim *ſtellas* faciunt Cometas, *quæ non ſemper, ſed certo temporis ambitu appareant:* partim *viſus noſtros in ſolem ſpeculi more reflexos.* Anaxagoras ac Democritus *duarum vel plurium ſtellarum concurſum*: *quemad-*

*modum ſpeculis aliquot inter ſe oppoſitis nonnunquam aliquid Stellæ ſimile elucet.* Ariſtoteles, *exhalationis aridæ igneam congeriem: & Cometas quidem, cum illa validius incenſa diutius durat, ſtella quidem infra apparente, coma autem ſupra fulgente: barbatas autem cum contra ſtella quidem ſupra appareat, coma autem infra barbæ more.* Strato dicebat, *ſtellæ lumen eſſe denſa nube circumdatum, quemadmodum fere in lucernis apparere ſoleat.* Heraclitus Ponticus, *nubem ſublimem, ſublimi lumine illuſtratam*, ac ſimilem reddit cauſam barbatarum, trabium, columnarum, ac ſimilium, ut omnes fere Peripatetici, nubium videlicet figuras. Epigenes credebat *ſpiritum terreum incenſum ac ſublatum.* Boethius *aeris incenſi viſum.* Chaldæi ſentiunt *alias quoque ſtellas eſſe præter planetas, quæ aliquandiu quidem lateant, quoniam longe ſint à nobis remotæ, nonnunquam autem inferius delatæ appareant, ita re exigente, eas vero Cometas ab iis vocari, qui neſciant ipſos quoq; ſtellas eſſe: euaneſcere autem videri, cum in ſuam regionem, in ætheris profundum, veluti piſces in maris fundum referantur.* Alii *terrea quædam vento vel turbine in aerem ferri* exiſtimarunt, *ibiq; incenſa, & in ætheris vertiginem illapſa, cum uniuerſo ad tempus aliquod circumferri, donec igne conſumpto euaneſcant.* Metrodorus *elici ſcintillas violenta Solis in nubem impresſione.* Xenophanes *omnia id genus, compactum aliquid, aut motum eſſe nubium ignitarum.*

Vides, mi Crato, quàm varia, quàm diuerſa, ſummi Phyſici de Cometis philoſophati ſint? Non commemoro omnia. petat, qui volet, ex Ariſtotele, qui aliorum ſententias ſuſtulit; ex Seneca, qui & Ariſtotelis, & aliorum item opiniones refutauit; ex Laertio, ex aliis multis. Mihi ſane, in tanta obſcuritate, & multiplici opinionum varietate, cum res ipſa ignota etiamnum ſit, non videtur vero eſſe ſimile, ut certi quidquam diuinari, aut prædici poſsit. quin hoc

affir-

affirmo, *etiamſi conſtaret, quid cometa ſit, quam materiam, quam naturam habeat, non poſſe tamen ex ejus lumine vel boni quidquam, vel mali prænunciari.* Id quod non ita multo poſt oſtendemus.

Qui Cometas propterea accendi in cœlo dicunt, ut ſint magnarum calamitatum, quæ nobis impendeant, prænunciæ quædam, atque adeò cauſæ efficientes, euentus varios & veterum teſtimonia Poetarum atque hiſtoriarum, & ſacrarum quoque literarum, in medium afferunt. Sunt etiam, qui ratiunculis quibusdam ſuis pugnant, ex naturali, ſi Diis placet, Philoſophia & Medicina petitis. Atque illi quidem Lucani, non ignobilis Poetæ verſiculis nos territant, qui vocat *Crinem timendi ſideris.* Et:

*terris mutantem regna cometen.*

Item Claudiani: *Nunquam cœlo ſpectatum impune cometen,* affirmantis. Inducunt etiam Poetarum principem, qui Iulii Cæſaris necem, præter alia prodigia, à cometa quoque notatam fuiſſe innuere videatur.

*Non aliâs cœlo ceciderunt plura ſereno*
*Fulgura, nec diri toties arſere Cometæ.*

Iouianus Pontanus quoque, eodem, quo cæteri Poetæ, ſpiritu afflatus, vir alioquin eximius in omni eleganti doctrina, in hunc modum cecinit:

*Ventorum quoq; certa dabunt tibi ſigna Cometæ,*
*Illi etiam belli motus, feraq; arma minantur,*
*Magnorum & clades populorum, & funera Regum.*

& quæ ibi plura dicuntur. Nec lubet hic alia teſtimonia recitare, & non neceſſariis tum carminum, tum hiſtoriarum exemplis epiſtolam implere. obuia ſunt paſsim, nec tibi, ut alia hujus generis omnia, non probe cognita.

Ac primum quidem miror, eos ad *experientiam* confugere: quæ & per ſe lubrica eſt admodum, &, niſi fallor, in

hac quoque cauſa pene tota ab ad verſaria parte ſtat, poque ea multo plura, & veriora, ne dicam omnia, teſtimonia dicit. *At euentus perſaepe praedictiones eorum comprobat.* Innumerabilia connumerari poſſunt, quae aut nullos habuerunt eiusmodi exitus, quales illi denunciarunt, aut prorſus contrarios. Quamvis hic illud recte dici poteſt, quod Cicero ſcite admodum ſcribit: *Quis eſt, qui totum diem iaculans, non aliquando collimet?* totas noctes dormimus, neque ulla fere eſt, qua non ſomniemus: & miramur aliquando id, quod ſomniauimus, euadere? Quid diuinatione ex auium uolatu, (ne ſuperſtitioſa alia multa diuinationum genera enumerem) quid extiſpicio vanius? quid ridiculum magis fingi potuit? & tamen ſaepe ea euenerunt, quae ex vaniſſimis illis imperitae multitudinis deluſionibus praedicta ſunt. Non pauci certe omnibus temporibus Cometae arſerunt, ſine bellis, ſine peſtilentia, ſine ullis Regum funeribus. Contra vero, tum anteacta ſecula, iam inde ab orbe condito, tum patrum noſtrorum, & noſtra haec aetas, funeſtas clades multas, & continentia bella, atque humano manantes ſanguine riuos, vidit: latentibus tamen interea, nec ſeſe unquam in conſpectum proferentibus, Cometis. Hic mihi venit in mentem Iulii Caeſaris Scaligeri, cuius tu libros mirificis in coelum laudibus tollis: *Exiſtimare*, inquit, *à Cometa Regem interfici, ridicula dementia eſt: tanto magis, everti prouinciam. Multi ſunt à nobis Cometa viſi, quos nulla unquam tota in Europa ſubſequuta eſt mortalium pernicies. Et multi clariſſimi viri ſuo fato functi ſunt, multi euerſi principatus, peſſundatae familiae illuſtriſſimae, ſine Cometae indicio.* Haec ille. Sed quaerendum ab iſtis hariolis eſt, memorabilem illam à Thucydide deſcriptam peſtilentiam, tum ab Hippocrate aliam, item à Galeno, & aliis alias, & quam Boccacius item luculenter depingit, tum alias multas variis in locis crude-

crudeliter in omne animantium genus graſſantes peſtes, ac quatuor ab hinc annis Lithuanicam illam & Polonicam, & Turcicam, & Pannonicam, & Germanicam quoque, qui præcurſores Cometæ denunciauerint? Multas certe easque populoſiſſimas prouincias & olim ſæpe, & per hos annos continue, ſæua peſtilentiæ lues, nullo ardente Cometa, exhauſit, ac depopulata eſt. Reges, Principes, ſummi viri multi, ſic reliquum genus omne, ut antea ſemper, ita hoc tempore, & in poſterum quoque, dum pulcherrima hæc mundmachina ſtabit, ſiue aliquis flagret Cometa, ſiue nullus appareat, perpetua tamen fatalique naturæ lege in dies, inque horas, & naſcentur, & interibunt. Neque hîc præpotentium Regum, quam de plebe cuiuſvis, aut melior, aut deterior eſſe conditio poteſt.

*Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,*
*Regumq́ turres. Stat ſua cuiq́ dies.*

& ea lege omnes nati ſumus, ut, cum vitæ finis adeſt, naturæ, vel inuiti, vel volentes, concedere neceſſe habeamus. Quæ cum à me dicuntur, ſatis, opinor, apparet, ut nulla vis maior admoueatur, omnia adverſariorum tela, hoc exemplorum quaſi clypeo quodam obiecto, ita excipi, ut irrito ictu ſua ſponte decidant, vel potius in ipſos infeſtos, atque invehentes ſe, repellantur.

Itaque hunc iſtum cometen, qui non ita pridem flagrare deſiit, & tam prodigioſus decernitur, longe alius, ut equidem ſpero, euentus conſequetur, quàm vulgo intimi iſti Dei & naturæ conſiliarii inflatis buccis, tanquam è tripode, vaticinantur. Quod ſi quo tamen caſu bella aliqua, ſi peſtis, ſi denique alia mala (quæ benigne Deus auertat) exoriantur, quis eſt vitæ communis rerumq; humanarum tam inſolens atque ignarus, quis conſiliorum, actionumque tam parum acutus æſtimator, qui vel leviſsima auditione acceperit ea,

quæ

quæ ubiq; fere gentium agitantur, ut ea ad cometæ potius crines, aut barbam, aut caudam, atq; adeo ad remotas illas cœleſtes uniuerſalesq́;, quàm ad proximas præſentesq́;, cauſas referenda eſſe, pertinaciter adhuc contendat? niſi eorum etiam bellorum, peſtilentiæ, aliarumq́ue calamitatum cometen eſſe cauſam, temere & ſine ulla ratione nugetur, quæ calamitates multo ante humanum genus miſere afflixerunt, quàm ullus in cœlo cometes exiſteret, aut ulla adhuc materia, vi ſiderum, ut loquuntur, in ſublime hauſta efferretur. Ne longe abieris, Veneta certe (in qua una urbe ſupra centum hominum millia abſumpta dicuntur) aliarumq; Italiæ, Germaniæ, Vngariæ, Sarmatiæ, Thraciæ urbium, ante cometen exorta peſtilentia eſt, & ut multis iam locis deſæuiit, ita aliis quoque vicinis contagionem ciuitatibus communicauit. Itaq; durat hodieque paſſim; ac, niſi Deus eam remouerit, cauſſæq́ue, quibus hæc lues alitur, ſublatæ fuerint, durabit diutius, vicinosq́ue populos immaniter funeſtabit. Vides, me minus curioſe vetera conquirere. Nam ſi id faciam, quis finis in tanta exemplorum copia reperiatur? Ea igitur tantum, quæ ipſis oculis intuemur, ſtrictim attingam.

Bellum Gallicum, luctuoſum illud ſane, & miſerabile, tum non minus cruentum Belgicum, iam aliquot ante cometen annis, nobiliſſimas illas, opulentiſſimasq́ue nationes afflixit, peneq́ue iam exſtinxit, necdum adhuc debellatum eſt. Cyprum, Goletam, Tunetum, nullo tanta mala præmonente cometa, non ita pridem amiſimus. Vngaria iampridem miſerandum in modum vaſtata ac prope iam deleta eſt, adducta certe eſt in extremum diſcrimen. Liuoniam prope omnem proxime, idq́ue ante cometæ exortum, Moſcus occupauit: nunc reliquias perſequitur. Bellum Dacicum, Danicum his annis, nuper etiam Tranſyluanicum

cum, & ter intra hoc biennium repetitas in Sarmatiam Scytharum excurſiones, depopulationes, vaſtationes, cædes ab eis illatas, & multa alia fœda nefandaque atrociter ab eis patrata, plurimorum oppidorum, pagorum, villarumque exuſtiones, quis, amabo te, Cometes anteceſsit? Abacta à feris iſtis, non iam hominibus, ſed belluis, equorum & aliarum pecudum incredibilis multitudo: puerorum vero, & puellarum, atque omnis ætatis & ordinis miſerabilium hominum ad trecenta millia, ut fama loquitur, in horribilem fœdamque Turcarum ſeruitutem abducta ſunt. Siue ad cauenda, ſiue ad depellenda, ſive etiam ad deprecanda hæc tanta mala, quæ præſignificare dicitur, cometes in cœlo fulget, digna ſane fuerat hæc, quam leviter attigi tantum, tam memorabilis calamitas, quam nouus aliquis cometes nobis præmonſtraret. Quis fuit motus vel maior, vel memorabilior, quod bellum tetrius illo, quod paucis abhinc annis in Vngaria geſtum eſt? cum Solymannus Ottomannorum Regum potentiſsimus quingentis hominum millibus Pannoniam compleviſſet? Munitiſsima illa, non ſolum harum regionum, ſed univerſi etiam Chriſtiani orbis propugnacula, Iula, & Zigetum capta & exciſa ſunt, fortisſimis propugnatoribus ad internecionem trucidatis; oppidis, vicisq; incenſis & euerſis; abacta, pecudum more, in fœdiſsimam ſervitutem, adoleſcentulorum, virginum aliorumq; omnis ætatis, omnis ordinis multitudine infelicium mortalium infinita. Pone tibi ante oculos, quæ tum fuerit per Germaniam, Galliam, Italiam, alias prouincias, armatorum hominum concurſatio, dum Principes ad tuendos, non iam Vngariæ fines tantum, ſed reliquum orbem Chriſtianum (quem ille iam ſpe deuorauerat, ac, niſi admirabili Dei prouidentia ſublatus fuiſſet: ſed nolo grauiora ominari, magno ſtudio ſe comparant,

atque undique maximi duces, cum ſubſidiario milite, ad diuum Maximilianum Cæſarem confluunt. Hos tamen tantos tumultus, hos tantos motus, hoc tam memorabile bellum, tam magnas illas ſtrages & vaſtitatem, ipſam denique formidabilis Chriſtianis populis Tyranni mortem, quis rerum humanarum, bellorum item, & vitæ necisq; Regum diſpenſator, autor, & prænuncius cometes portendit? Mortuus eſt non multo poſt Cypri euerſor ac triumphator, Solymanni filius & ſucceſſor, is, qui à noſtris ad Echinadas nauali pugna memorabili, nullo ante exorto cometa, glorioſe ſuperatus eſt. mortuus item Sigiſmundus Auguſtus, Sarmatiarum Rex potentiſsimus, cum uxore Catharina Auſtriaca, lectiſsima Regina: paucis ante annis Diuus Ferdinandus Cæſar, cuius pietas ſumma atque inſignis ſapientia extitit: tum abhinc fere biennium tanto patre digniſsimus filius Diuus Maximilianus, Imperator Opt. Max. cujus nunquam ſatis obitū, pro illius diuina virtute, deplorare poſſumus: plurimi alii Principes in Europa, & alibi mortui ſunt, in quibus aliquot Pontifices Maximi; tum Henricus Galliarum Rex bellicoſus, miſerabili fato functus, & eius filius Franciſcus II. Rex; poſt hunc Carolus item IX. Rex, ejus frater. Hi paucis interiectis annis diem ſuum obierunt, nec tamen ullus fatidicum ſuum iubar Cometes explicuit, quo his de rebus ante, quàm euenirent, mortales admonerentur. Proxime ſuperioribus annis multa in Zelandia & Hollandia ab Oceano oppida abſorpta ſunt; (nam hæc quoque cometis accepta referunt:) Ferraria nobiliſsima urbs, fere ab imis conuulſa ſedibus, & terræ labefactata motibus, pene tota cum magnificis & ſumptuoſis illis Diuorum templis, ac publicis aliis priuatisq; ædificiis corruit, & deformata eſt: nec tamen ullum tantorum monitorem malorum cometen vidimus. Sed huius generis mala pene innumerabilia ex vete-

veteri & noſtrorum temporum hiſtoria in medium afferre, nullius prope negotii fuerit. Illinc ſumat licet, ſi quis magno eorum ſtudio tenetur: nobis hæc ſatis ſint, quæ vel vidimus ipſi, vel videre potuimus.

Verum longius abeo, quàm initio conſtitueram, dum oſtendere conor, ſi exemplis pugnandum ſit, numero nos, & multorum inſignium euentuum copia, facile vincere. Quanquam nullum prorſus exemplum illorum ſeruire inſtituto poteſt. Nam ſi propterea talia, quæ commemorauimus, mala ad cometen, tanquam ad cauſſam ſuam, referri oporteat, quod in illud aliquando tempus incidant, quo cometes aliquis ardet, aut poſtquam deflagrauit, conſequantur: videndum eſt illis etiam atque etiam, ne ad multas, atq; eas quidem perabſurdas, conſecutiones feneſtram aperiant. Nam, ut alia omittam, efficitur ſanè hoc modo, ut eius, quod fit, aut paulo pôſt ſequitur, cauſſam eſſe dicamus id quod vel præſens eſt, vel non ita pridem anteceſſit. Sic ortum, ſic obitum Solis, ſic fulgura, ſic tonitrua, ſic parelia, ſic iridem, ſic multa alia, earum cauſſam rerum omnium faciemus, quæ his interuallis ab hominibus ſuſcipiuntur, & fiunt, atq; adeo quæ eis præter expectationem, aut voluntatem accidunt. Febre aliquis corripitur, aut morbo alio, moritur etiam: alius ex alto cadit, aut ceruicem ex equo delapſus frangit, dum tonat, aut fulgurat: num propterea aut tonitru, aut fulgur, febris, aut eorum, quæ diximus, malorum efficiens cauſſa ponenda eſt? Bochnæ decem ab hinc diebus, ut ad me ſcribitur, mulier quædam, infantem dum lauat, audito extra domum alterius ſui filioli fletu, accurrit propere, iacentem puerum offendit, is in cultellum, quem manu gerebat, incubuerat, ſeq; ipſe miſellus transfixerat. mater dolore amens, recurrit ad infantem in alueolo relictum; hunc quoq; ſubmerſum reperit, ſuper-

ueniens maritus, impotens ſui, uxorem corripit, verberibúsq; enecat. Quid multa? trium miſerorum obitu conſpecto, ſceleris conſcientia, & chariſſimorum pignorum conmiſeratione furens infelix pater, laqueum collo induit. O rem miſerabilem! Cracouiæ ſub idem tempus infelix item adoleſcens quidam hoſpitis ſui uxorem, filiolam item & ancillam, nocte intempeſta, obtruncat: pecuniam, torques, & quæ poteſt, aufert, abſente marito: qui diſcedens peregre, iſtius fidei omnia commendaverat. Hoc tam immani ſcelere cognito, quæritur, tandem comprehenditur homo perditus, & in carcerem conjicitur. Quid multa? viuus uſtulatur, forcipibus prius candentibus varie laceratus, & cultro longis per dorſum vulneribus à carnifice conſciſſus. Num tot prodigioſorum funerum, tanti huius ſceleris, ſupplicii tam horrendi cauſſas ad cometen referemus? an etiam horum atq; aliorum ſcelerum, quæ ex multis pauca ſtrictim attigimus, Cometen cauſam dicent, & ubi hoc affirmauerint, pietatis tamen Chriſtianæ propugnatores ſe profiteri audebunt? Quid obſtat igitur, quin hæc mala neceſſariò & ineuitabili lege euenire, palam fateantur, id quod ex eorum concluſiunculis efficitur? Atque hæc quidem nuper admodum euenerunt. Quæ cum hucuſque ſcripſiſſem, ecce tibi tertia noctis hora clamores ſurſum deorſumq; curſitantium miniſtrorum meorum ac ſtrepitus repente exaudio, abjicio calamum, exſilio. omnes exſtinguendo incendio occupatos offendo, quod ſenſim ex coquinæ camino eruperat. Inſanus ſim profecto, ſi cometen accuſem, non coqui imprudentiam, qui nimis luculentum ignem accenderat, atque ipſius adeo œconomi mei negligentiam, cui caminum non iuſſerit in tempore purgari, atq; ex eo, incendii materiam, fuliginem, detrahi. Et hæc quidem omnia Cometæ conflagrationem non multo poſt conſequuta

ſequuta ſunt. Iam ſi pax, ſi ſalubritas aëris, ut plerumque vatibus iſtis inuidia ſe vel rumpentibus aſſolet, ſequatur; ſi nulla prætereà mala eiuſmodi eueniant, quæ minantur; ſi nullus etiam Rex moriatur: non opinor nobis iraſcentur, ſi non iam dirum & interfectorem, ſed ſalutiferum, uitæq; propagatorem, ac ſeruatorem, iure cometen vocabimus. Cur enim non hîc quoq; euentuum iſtorum felicium, quos antea præceſſit, aut ſignum, aut cauſam eſſe cometen putemus? num perpetuo male tantum ominari vaticinatoribus iſtis libet, nunquam vero bene? hoc Dii prius omen in ipſos conuertant hoſtes. Ex quo ſanè, ſi alia deſint, vel ſolo perſpici poteſt, quàm vanæ, quàm pugnantes inter ſe ſint Genethliacorum prædictiones, quæ re & euentis refellantur. Diſſidere autem ipſos inter ſe, confirmat nuper emiſſum magni cuiusdam Aſtrologi de hoc ipſo cometa vaticinium: qui *proſpera portendi* ſcribit. Bene ſit homini bono, tum quod non territat nos variis calamitatum denunciationibus, ut alii; tum quod oſtendit, in re dubia nihil eſſe firmitatis. Eadem igitur opera, & metu nos liberat, & vaticinationis huius vanitatem demonſtrat. Liber Italice editus, & ſcriptor celebris eſt, Annibal Raimundus Veronenſis, qui quidem in eo, ætatis fortaſſe vitio, labitur, quod huius luminis beneficio & diuturniorem ſibi lucis uſuram, & ſecundam, neſcio quam, fortunam promittit, quam equidem illi euenire opto aliunde. nam hinc quidem neutrum conſequetur. ſed ſinamus, exacta iam ætate ſupra octoginta annos natum ſenem inani ſpe deludi, & quaſi quaſi voluptate perfrui. Hæc cum ita ſint, miror eſſe tamen aliquos, qui fidem Aſtrologis habendam, vaniſq; eorum prædictionibus locum apud cordatos homines ullum relinquendum eſſe, adhuc contendant. Valeant, contrariiſque inter ſe vaticinationibus pugnent, mutuiſque ſe,

ſuamque iſtam fatidicam artem, vulneribus conficiant; ac miſellum tot aliis malis ſatis ſuperq; vexatum popellum tam vano, ſaltem ex his indiciis, impendentium calamitatum metu exanimare porro deſinant.

Cæterum quod ad *poetarum* terriculamenta, & quorundam exempla *hiſtoricorum* attinet, abunde ſatis fuerit, ſi breuiter ac nude reſpondeatur: Poetas, atque ipſos etiam hiſtoricos, ut multis aliis de rebus ſæpenumero, ſic de Cometarum quoque prodigiis, ex vulgi atque imperitæ multitudinis opinione, populariter, non ex veritate, aut animi ſui ſententia ſcripſiſſe ea, quæ de Cometarum euentis litteris mandarunt. Quod ſi obſtinate negent aſtrologi, & adhuc teſtimoniis, ſcriptorumq; authoritatibus, pugnare velint, næ illi non ſatis animadvertunt, in quas ſe anguſtias conjiciant. Cauſſa certe turpiter cadent, ſi coram æquo iudice litem faciant. Nam ſi huc prouocant, nos contra pauculos Poëtas & hiſtoricos, qui tamen, ut oſtendi, ab eis non ſtant, graviſſimorum Theologorum, Philoſophorum, Medicorum, aliorum etiam ſcriptorum, confertiſſimum agmen opponemus. Sed eſto. ſenſerint cum vulgo poetæ, neque aliter, quàm cogitabant, ſcripſerint. Eorumne nos authoritati ceſſuros exiſtimant, qui toti in nugis, & fabellis verſantur? quorum ſi placita recipiantur, Deus bone, quæ monſtroſarum portenta opinionum ſtabilientur? Haruſpicina, extiſpicia, ſomnia, viſa, oracula, fatidicæ anus, & multæ aliæ veterum delirationes, regnum obtinebunt: iacebit vera Dei & religionis cognitio, pietas Chriſtiana omnis funditus euertetur, tum ſenſus ipſe communis, ac iudicii ipſius vis omnis nobis eripietur. Itaque minime nos illa mouere debent, quæ ſiue hac, ſiue alia de re generis ejusdem, & à poetis & ab aliis, ſi qui ſunt poetarum ſimiles, memoriæ prodita ſunt: niſi cum ratione inſanire malumus, quàm

quàm pietatem, & doctorum hominum de rerum natura ſententiam amplecti: ſuperſtitioſis anicularum & falſis imperitæ multitudinis opinionibus irretiti.

*Quid igitur*, inquiunt, *nihil ne penitus eorum, quæ vulgo timentur, malorum cometen nobis prænunciare, & fruſtra talem de cælo ignem oſtendi putas?* Aio equidem, non magis à Cometarum incendiis bella, peſtes, Regum interitus, & quæ ſunt generis eiusdem, portendi, (multo vero minus effici) quàm ab aliis impreſſionibus, &, quæ multa variaq; ſæpe in aëre ſpectantur, phænomenis. Quid ita? quia eadem eſt Cometarum, ut voſmet ipſi vultis, Peripateticos in eo, & principem eorum Ariſtotelem ſequuti, quæ aliarum in cœlo flammarum, materia, eademque efficiens cauſſa. In manibus ſunt libri Philoſophorum, qui hæc ex naturæ latebris, ſenſuum miniſterio, eruta, ad rationis examen reuocarunt, atque horum nobis cœleſtium ſpectaculorum cauſſas, ſcienter, quod ad eius fieri potuit, explicarunt. Atq; hi, quos dico, Peripatetici Solis, aliorumq; ſiderum inſita vi, lumine ac motu, intimos terræ receſſus, aquarumq; profunda permeantium, ſpiritus quoſdam, ſiue fumos, ſiue halitus, ſiue mauis exhalationes elici aiunt, quæ calidæ, atque aridæ cum ſint, atque ideo etiam leuiſſimæ, ſurſum attollantur, in ſublimemq; illum locum facile euolent. Hæc concipiendis ignibus apta materia cum ſit, orbis cœleſtis agitatione, proximiq; ardore ignis (ſi tamen ullus ibi ignis eſt) non magno negotio inflammatur. Variæ autem aliorum ignium ſpecies exiſtunt, pro ſitus diuerſitate, & materiæ cuiusque copia, aut paucitate. Hinc illa ſæpe conſpicimus, de quibus Poeta:

*Namq; volans liquidis in nubibus arſit arundo,*
*Signauitq; viam flammis, tenuesq; receſſit*

*Con-*

*Conſumpta in ventos.* Et illud: *Ceu ſæpe refixa*
*Tranſcurrunt, crinemq́, volantia ſidera ducunt Cælo.*
Apud Philoſophos reliquos plura etiam flammarum genera reperias, quàm apud Ariſtotelem: qui quidem flammas, trajectiones ſtellarum, faces, capras, ex eadem produci cauſſa, ac gradibus tantum, & intenſione ac remiſsione; vel potius, ut ipſe ait, τῷ μᾶλλον, καὶ ἧττον differre docet. Talem quoque Cometarum eſſe naturam volunt. Conſtant enim omnes ex calido & ſicco terræ halitu, ut dictum eſt. Jam verò objiciuntur aſpectui noſtro multæ aliæ in cœlo admirabilium ignium formæ; hiatus, foſſæ, candelæ, titiones, trabes, dracones volantes, ignes perpendiculares, columnæ, gladii, lanceæ, lampades, iacula, clypei, turres, naues, cruces, & gemini illi ignes, qui Caſtoris & Pollucis nomen obtinuerunt; tum ardentes acies, & ignita arma, de quibus Iulius Obſequens, & alii fuſius diſſerunt. Conſpiciuntur fulgura quotannis cum terribili ſonitu ac fragore, ut alia quoque naturæ miracula, quæ certe multo majorem, idque meritò, quàm Cometæ, admirationem & metum incutiant. Quæ enim nox cœleſtium ignium ſpectaculis vacat? ſed conſuetudo nimirum cum admiratione ipſa, ut dixi, pauorem quoque minuit aut prorſus jam ademit. Quæ tamen omnia non minus à naturalibus & neceſſariis cauſis produci ſolent, quam Solis, & reliquorum ſiderum ortus atq; occaſus; quàm ejuſdem Solis Lunæq; labores, ut Poetæ loquuntur; quàm interlunia, quàm aliorum quoq; planetarum varii ſitus, atq; ex cuiuſuis curſu rotationeq; diuerſæ poſitiones; quā alia ſexcenta; aut, quod malo, quàm nubes, quam pruina quam pluuia, quàm nix, quam grando, quam tonitrua, quàm fulgura, quàm fulmina, quam Solis & Lunæ areæ, quàm geminati Soles aut plures etiam, Lunæ it. plures, vel, ut Græci vocant, παρήλια καὶ παρασελήναι, quàm iris, quàm multa alia,

quæ

quæ videmus à natura effici. ex quibus tamen nihil propemodum harioli iſti vaticinantur. Præclare Seneca: *Nemo,* inquit, *uſque adeo tardus & hebes & demiſſus in terram eſt, ut ad diuina non erigatur, ac tota mente conſurgat, utique ubi nouum al quid de cælo miraculum ful'it. Nam quamdiu ſolita decurrunt, magnitudinem rerum conſuetudo ſubducit. Ita enim compoſiti ſumus, ut nos quotidiana, etiamſi admiratione digna ſunt, tranſeant: contra minimarum quoque rerum, ſi inſolita prodierunt, ſpectaculum dulce fiat. Hic itaq; cætus aſtrorum, quibus immenſi corporis pulchritudo diſtinguitur, populum non convocat. At cum aliquid ex more mutatumeſt, omnium vultus in cælo eſt. Sol ſpectatorem, niſi cum deficit, non habet.* & quæ ſequuntur alia, lectu periucunda. poſt addit quoque, *Adeo naturale eſt, magis noua, quàm magna mirari. Idem in Cometis fit. ſi rarus, & inſolitæ figuræ ignis apparuit, nemo non ſcire, quid ſit, cupit: & oblitus aliorum, de aduentitio quærit, ignarus utrum debeat mirari an etiam timere. Non enim deſunt, qui terreant, qui ſignificationes ejus prædicent.* Hactenus ille. Immutabili igitur, & ſtata naturæ lege hæc fiunt; neque eo eueniunt, quo inani mortales metu excrucient, aut (quod abſurdius eſt) ut bellis, ut peſtilentia, ut mille aliis horrendis malis nos miſere diuexent. Nempe raritas ipſius rei, & noſtra inſcitia facit, ut meticuloſorum ſuperſtitionique deditorum animi ad infauſtas præſenſiones potius, quam ipſius rei naturam indagandam ſeſe conuertant. Cujus quidem, ut antè oſtendimus, & ipſi confitentur, non alia eſt, quàm multarum aliarum cœleſtium flammarum materia. Rarius autem apparent crinitæ ſtellæ, quo ſolo pene nomine iſtis, quam reliqua, magis ſuſpecta ſunt; ſed fruſtra, quia ad eas inflammandas permagnam congeri materiæ vim & copiam neceſſe eſt. Quo fit quoque, ut diuturniores ſint, & multos ſæpe menſes

ardere conſpiciantur. id quod aliis ignibus non accidit, quorum non eſt tam copioſum pabulum. Cometæ autem tamdiu durant, dum tota illa, in qua concepta inflammatio fouebatur, immenſa materiæ vis ac magnitudo exuratur, ac penitus abſumatur. Fiunt autem iſta, &, dum natura pulcherrimaque huius uniuerſitatis compages ſtabit, fient, ſuo quodam naturali ordine ac lege. Quid? quod nulla, ut iam dixi, nulla, inquam, ſine ejusmodi ſpectaculis nox eſt, ac ne dies quidem ullus. Sed eorum nobis conſpectum maius, ſplendidiusq; Solis lumen eripit. Jam quod majores minoresque ignes exiſtant, id fieri oſtendimus, pro materiæ ex terra aquisque eleuatæ, proque pinguium,& tenacium, varieque mixtarum exhalationum & quantitate & qualitate. Quocirca ex ſuperſtitione, puerilique metu profecta eſt omnis hæc diuinatio, non ex rei ipſius natura, non diſciplina ulla, vel ſacra, vel prophana: quæ quidem firmis ac veris nitatur fundamentis. Nam, ut ſacra prius attingamus, quid eſt quæſo uſpiam in ſacris literis memoriæ proditum, quod de cœlo nos obſervare, atque ex hujus generis inflammationibus, aut omnino ex aſtris hariolari, aut venturas vaticinari calamitates, aut proſperam promittere fortunam jubeat? Quin vetat nos ita inſanire, graui etiam addita comminatione, ſolus futurorum præſcius, & author Deus: cuius in ſenatu quis ſedit? quis arcanis ejus conſiliis interfuit, ut quæ ventura ſint longe ante, quam eueniant, enunciare queat? Prædici equidem ea non nego poſſe, quæ phyſice eueniunt, neque aliter ſe habere naturæ lege poſſunt: ut ſtellarum ortus & obitus, ut Solis & Lunæ eclipſes, ut ipſas quoque aliquando Cometarum inflammationes. Quò magis etiam intelligas, non ut ſigna, multo vero minus ut calamitatum cauſæ ſint, Cometas à Deo ſuſpendi ex alto: ſed, ut alia, de quibus iam

dixi-

diximus,incendia,naturali quodam ordine, ac ratione identidem exiſtere. Hinc literis proditum eſt, Thaletem,aut neſcio quem alium, Cometæ ortum multo ante prænunciaſſe. Patrum certe & noſtra adeo memoria Appianus Ingolſtadienſium Mathematicus, quem ſuprà nominaui, uno atque altero, niſi fallor, anno ante, quam oriretur,cometen viſum iri prædixit. Idem feciſſe dicitur Joh. Cario. Leonhartus Turneiſſerus quoque ante,quàm arderet,huncCometam exoriturum eſſe prænunciauit, ſi ei fidem adiungimus, de ſe id in libello ſuo de Cometis glorioſe prædicanti. Jam ſi ex naturalibus cauſsis Cometarum quoque ortus prænunciantur, naturales certe ignes, non portenta eſſe, fateantur neceſſe eſt. Portenta enim, quæ ita fere appellantur, contra omnem naturæ vim, præterque omnem ejus curſum atque ordinem exiſtunt, & à Deo, ob graues aliquas cauſas mortalibus objiciuntur. Quod ipſum cum evenire debet, autProphetarum, aut Angelorum monitu homines ante ad eorum expectationem excitantur. Sic in ſacris hiſtoriis aliqua portenta memorantur, ſed quæ ante prædicta fuerant. De Cometis quid ejusmodi memoriæ mandatum fuit uſquam in ſacra hiſtoria? quis unquam vates, quis angelus affore cometam, magnorum malorum oſtentum & cauſam, prædixit? Naturalia igitur prodigioſam eſſentiam non habent, nec vires, neque effectus. Quo fit, ut ea, quæ ad hominum voluntates, conſilia, actiones pertinent, & aliunde pendent, quæue ad proſperam, vel aduerſam fortunam, ad opes, ad honores, ad priuatas vel publicas calamitates ſpectant: ea, inquam, omnia prudentiæ potius vi, rerumque uſu, ac ſolerti conjectura comprehendi, quàm ex meteoris aut aſtris denunciari poſſe, perſpicuum videatur. Quin hoc obiter addo, ſi quod portentum, ſiue in terra, ſiue in cœlo, nobis offeratur, inuſitata ac prorſus

noua aliqua ſpecie: quod nullus unquam mortalium antea viderit, quodque omnem intelligentiam captumque noſtrum ſuperet: ne ex eo quidem homines quidquam certi atque explorati, niſi uniuerſali quadam ratione, & ita propemodum ex accidenti, vaticinari poſſe. Nam eſt *neſcia mens hominum fati, ſortisq́ futuræ,* ut inquit ille: neque ulla humani ingenii & doctrinæ vi præuideri futura certo poſſunt, niſi ab eo, quem forte Deus peculiariter fatidico hoc ſpiritu afflauerit, &, ut de ſacris vatibus legimus, arcana aliqua patefecerit, de quibus humanum genus admoneri velit. Præclare Ariſtoteles: τὸ μέλλον, inquit, ἀφανὲς ἡμῖν. Iſocrates quoque: τὸ μέλλον ἀόρατον: & alibi pereleganrer: οἶμαι ἅπασιν εἶναι φανερὸν, ὅτι τὰ μέλλοντα προγινώσκειν, οὐ τῆς ἡμετέρας φύσεώς ἐστιν, ἀλλὰ τοσοῦτον ἀπέχομεν ταύτης τῆς φρονήσεως, ὡς Ὅμηρος ὁ μεγίστην δόξαν ἐπὶ σοφίᾳ ἔχων, καὶ τοὺς θεοὺς πεποίηκεν ἔστιν ὅτε βουλευομένους περὶ αὐτῶν, οὐ τὴν ἐκείνων γνώμην εἰδὼς, ἀλλ' ἡμῖν ἐνδείξασθαι βουλόμενος, ὅτι τοῖς ἀνθρώποις ἕν τι τοῦτο τῶν ἀδυνάτων ἐστίν. Quæ cum ita ſe habeant, non equidem ante fanaticis iſtis Cometarum cultoribus fidem adjungam, quàm ſe divinæ voluntatis & conſiliorum participes factos, & ad æterna illa, atque ut Paulus ſcribit, *imperſcrutabilia Dei judicia* admiſſos fuiſſe demonſtrent. Oſtendant igitur prius, ſi credi ſibi volunt, unde didicerint iratum nobis Deum, hoc tam ſingulare portentoſumque (uſitata enim illa non pernego) iræ ſuæ ſignum de cœlo ſuſpendiſſe, quod idem magnorum etiam ſuppliciorum, quibus humanum genus afflicturus & perditurus ſit, cauſam in ſe contineat. Quis angelus hæc tanta eos arcana docuit? *Peccata*, inquiunt, *populi indicio ſunt, Deum iratum eſſe.* Ne hoc quidem ignoramus, o bone: ſed ita non Cometæ, verùm peccata ipſa, iraſci Deum ſignificant: imò etiam pœnam delictis noſtris debitam ſola & tota verè attrahunt. *At non vulgaris illius,* inquies, *ſed grauioris indignationis diuinæ ſigna ſunt Cometæ:*

quia

*quia peccata etiam grauia ſunt.* Quæ ætas, amabo te, quæ natio, quis populus, quis fuit, aut eſt mortalis unquam liber à peccatis? nunquam certe peccare & variis homines ſe inquinare ſceleribus, dum mundus hic aſpectabilis durabit, deſinent. Quare nullus erit Cometarum finis, totum ſemper cœlum incendiis ardere neceſſe erit. Non ex Cometis, ne quid ignores, diſcimus, quid ſequi, quid fugere debeamus. Non in cœlo, ſed in ſacris litteris, nos ſpectare & diſcere Deus voluit, quid cum ſuis mandatis congruat, quid repugnet, quid eum offendat, quid probet, quas pœnas ſceleribus noſtris, quæ recte factis præmia conſtituerit. Hîc mihi illud objici poſſe video: *ex propriis cujusque artis principiis agendum eſſe, me autem finibus violatis genus tranſcendere, cum ex theologia contra aſtrologaſtros pugnem.* Sed cur illi, quæſo, ex ſua arte in alienam irruunt, & commenta ſua ſacris oraculis ſtabilire conantur? Sibine in re abſurda & vana comprobanda licere Theologia abuti putabunt, nobis in veritate aſſerenda ad veritatis fontem recurrere, non putabunt? præclaram ſane legem, & authoribus ſuis non indignam! licet profecto, licet, ſicubi artes ac diſciplinæ inter ſe pugnant, ut lis omnis dirimatur, ad certiorem eamque ſuperiorem confugere. Dei nimirum per Prophetas & Apoſtolos traditum verbum norma nobis eſſe debet ac quædam quaſi Lesbia regula, ad quam veritas omnis examinetur. Verum longius, quàm inſtitueram, euagatur oratio, dum oſtendere conor, neq; ex natura & conſtitutione cometæ, neq; ex ullius veræ diſciplinæ fundamentis, neq; euentis, neq; Dei patefactione id euinci poſſe, quod homines leues & ſtulti omnibus perſuaſum eſſe volunt. Atque hic quidem non graues, doctos, pios homines, qui ſuo ſe pede metiuntur, & à quibus nihil ſine ratione proficiſci veriſimile eſt, intelligere me putes velim: quos ego colo, &

 amo,

amo, & libenter lucubrationibus eorum, nec ſine voluptate utor: ſed ad eos mea pertinet oratio, qui, ut eſt apud veterem Poetam, Ennium:

*Non ſunt aut ſcientia, aut arte diuini*
*Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſq́ harioli,*
*Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat,*
*Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.*
*Quibus diuitias pollicentur, ab iis drachmam ipſi petunt:*
*De his diuitiis ſibi deducant drachmam, reddant cætera.*

Horum ſane leuitatem Plato, ut Plotinus docet, indicauit, cum eos *corporibus exutos, poſt obitum in aues tranſmigrare* ait. eam fortaſſis ob cauſam, quod viui etiam animis in aëre volitarent, &, ut Comicus loquitur, ἀεροβατοῦντες curioſe ea inquirerent in rebus ſublimibus, quæ falsò ibi ſe reperiſſe in vulgus ſpargerent. Quæ cauſſa videtur fuiſſe, ut, quod Aſtrologi Alexandriæ pendebant *ſtultorum tributum* vocari ſit ſolitum. Sic enim eſt apud Suidam. Hoc loco commodum venit mihi in mentem eius, quod Lutetiæ ſæpenumero audiui ex optimo eodemq́; doctiſſimo viro Hadriano Turnebo, amico & præceptore meo, quoties de Aſtrologorum vanitate ſermo iniiceretur. Id poſtea litterarum quoque monumentis mandauit. Sed adſcribam eius verba, quæ nihil vereor, ne grata tibi accidant, etſi paulo copioſius rem perſequatur. Sic autem ille: Nullius fere rei homines maiore ſtudio & cupiditate ducuntur, quàm futura præſagiendi: humanusq́; animus cum præterita recordando complectatur, præſentia ſenſu uſurpet, augurio etiam poſterum & conſequens prænoſcere conatur. Sed verendum eſt, ne, quemadmodum hominibus immortalitatis irritum deſiderium eſt, (ea enim conditione nati ſunt, ut moriantur:) ita præſenſionem iſtam & præſagitionem falsò ſibi promittant; cum ſine Dei beneficio, quod ante pedes

des eſt, vix videre poſſint. Ea certè res magnæ fraudi eſt & hominibus & religioni, cùm homines improbi partim quæſtu capti, partim, ut credo, malorum geniorum furiis agitati, noſtra illa futuri auiditate ad artificia diuinationum condenda abutantur, non humanis tantum legibus interdicta, verum etiam ſacris effatis improbata. Nec verò ceſſat nefarius ille genius errorem propagare, ſed ſe interponit, & per artes ſuas diligenter agit, infinitaq; genera diuinandi & vaticinandi ſuggerit, & vel noua excogitat, vel vetera renouat, ut illo errore implicati nec Deum agnoſcamus, nec colamus. Itaque quis non ægerrimè ferat, eas tenebras olim ſalutaris Euangelii luce fugatas, ac tot ſæculis intermortuas, hoc potiſſimùm tempore reuiuiſcere? Quis enim non hodie plus propè fidei mathematicis & Chaldæis, quàm ſacris libris, habet? Quis non ex hora ſua ſeriem euentorum ſuorum trahi putat? & rectè facta ac vitia ſideribus potius, quàm ſibi, adſcribit? Quinetiam, quod omnem impietatem ſuperat, eò progreſſus eſt cuiusdam veſanus & ſceleratus furor, ut horam natalitiam Seruatoris noſtri deſcriberet, & eum ſideribus ſubjiceret, cujus numini non modo ſola terrarum, verum etiam rerum ſumma paret. Nos tamen ita dormitamus & ſtupemus, ut ejusmodi ſcelera impunita dimittamus, quæ, ſi ſaperemus, acerrime vindicanda erant. Quanquam ſi quid unquam veri prædicerent, ac non omnia impudenter mentirentur, ignoſci nobis poſſet, qui eos ferremus: nunc cùm ita è mendacio toti concreti ſint, ut prodigii ſimile eſſe videatur, ſi quid aliquando veri eis excidat, quid cauſæ dicemus, cur eos conſuli ſinamus? Liquet mihi iurare, de Syluio (quo & quanto viro, dii immortales!) audiuiſſe me non magis fidem aſtrologis iſtis habendam, quàm hominibus vaniſſimis & fallaciſſimis, eſſe. Vt enim, mihi dicebat, ſemel ſtatuas,

quan-

quantum eis tribuere debeas, quid dicam, attende. Tantum abeſt, ut natio iſta hominum euenta vitæ prædicere queat, ut ne de anni quidem conſtitutione & habitu, qui tamen certiores habet vices, ad verum decernere quicquam poſſit, præter ea, quæ vel idiotis nota ſunt. Nam præter quadripartitas anni commutationes omnibus notas, non dubitem reliquarum propè rerum præſenſionem eis detrahere. Sæpenumero, quò fidem artis illius experirer, ſtatim anni initio in Ephemeride, ubi pluuium illi ſcribebant, ego ſudum notavi: ubi illi tranquillum, ego ventoſum: ubi illi ſerenum, ego nubilum: & euentum obſeruaui; annoq; vertente ſummam feci utriusq; prædictionis, ac me multis partibus meliorem & certiorem aſtrologum reperi: ut ſcias qualis illa ſit ars, quàm qui negligat & irrideat, artifex propemodum videri queat. Mihi quidem mirum eſſe videtur, quenquam hodie eorum eſſe, qui poſt anni ſuperioris prædictiones, cui ſimile ætas noſtra non vidit, frontem ſuam hominibus oſtendere auſit. Totus eius anni ſtatus, eluuiones & inundationes habuit: aſſiduis imbribus agri natârunt: ſegetes partim merſæ interierunt, partim in pabulum eluxuriârunt: uuæ anni humore & frigore non maturuerunt. nihil horum ante exitum aſtrologi viderunt. Nihilo ſpectatior eorum hoc anno fides fuit, qui ſiccitate exuperat, ut ille humore redundavit: ac, ut opinor, ne inducias quidem hodie haberemus, niſi ſæuiſſimum nobis bellum eſſent in hunc annum minati. Sed è longo diuerticulo, non inamœno tamen, ut opinor, redeo. nulla igitur in Cometis tantorum malorum vel ſigni, vel cauſſæ ineſt neceſſitas, ac ne veri quidem ſimilitudo ulla. Itaq; vana & ſuperſtitioſa omnis ex eis eſt hariolatio. *Atqui alia ſi neges*, dicit aliquis, *hoc ſaltem concedes, quod Philoſophi, quod Ariſtoteles ipſe docet, ventos atque aëris ſiccitatem à Cometis effici.*

nego,

nego, efficere: indicant tantum, & ſigni, non cauſæ, vim habent. quin, quoniam ex fumoſis halitibus fiunt, qui ſicci ſunt, ſiccitatis effectus, non cauſas, dici oportere, perſpicuum eſt. Quod Aratus quoq; indicare videtur, cum ait:

*Namq́, parit multos tempeſtas ſicca Cometas.*

neq; enim Cometæ ante exiſtunt, ut oſtenſum eſt, quàm elatæ è terra ſiccæ exhalationes aërem repleant, atq; in altum attrahantur. Neq; ad unius tantùm Cometæ flammam ventos & ſiccitates conſequi, ſed ſi crebri & plures appareant, Ariſtoteles docet. In eandem ſententiam Aratus quoq; cecinit, ut Cicero interpretatur:

*At ſi contigerit plures ardere Cometas,*
*Inualidas ſegetes torrebit ſiccior aër.*

Iuuat reliquos etiam verſus adſcribere, quibus ille generationem eorum ſcite complexus eſt:

*Nam quæ prorumpunt naturæ legibus ultro*
*Spiramenta ſoli, ſi iuſtus defuit humor,*
*Arida per cœlum ſurgentia deſuper alte*
*Igneſcunt flammis, mundiq́, expulſa calore*
*Excutiunt terras, & crebro crine rubeſcunt.*

Vides, doctiſſime Crato, plures eſſe Cometas oportere, qui ventos atq; aëris ſiccitates non iam efficiant, ut ipſi volunt, ſed, ut ego aio, denuncient? idq́; nullo plerumq; euentu. Et iſti tamen ex uno Cometa nobis, non flatus, non ſiccitates, ſed bella, peſtes, alias maximas calamitates de cœlo deducunt. *At aëris conſtitutio & vis corpora noſtra afficit.* afficiat ſane, & tota ſuo arbitratu fingat, & refingat; non tamen propterea euincent ab aëris una ſiccitate diram illam luem inuehi, atq; ad arma furiali rabie capeſſenda populos concitari. Quin contra potius uſuuenit. Nam Philoſophi & Medici docent abſumi his ardoribus corruptos venenatosq́; fumos, atque aërem ab illa labe, &

inquinamentis quibuſdam, quæ illi μιάσματα σηπεδονώδη vocant, expurgari. Quam ad rem venti quoque magnam vim afferunt, aërem flatu ſuo commouentes, & ſi quæ forte coaluerunt putria corpuſcula, disjicientes. Ex quo ſane efficitur contra, quàm vates iſti volunt, cometen, ſi præſertim integre deflagrarit, peſtilentiæ cauſam tollere, cuius in putredine ſita eſt, ut multi cenſent, vis omnis. Nulla autem magis, quàm ſicca aeris conſtitutio, putredini aduerſatur. Et obſeruatum ſæpe fuit, quibus annis Cometæ fulſerunt, eos maxime ſalubres fuiſſe. Thomas Eraſtus, magni vir ingenii, & doctrinæ præſtantis, duos annos 1556. & 1558, quibus Cometæ arſerunt, apprime ſalubres fuiſſe memorat, in breui quidem illo, ſed docto, minusq; , quàm pleriq; maleferiati opinantur, profano de Cometis commentariolo. Cuius ego viri ſententiam ita probo, ut nulla fere in parte ab ea diſcedendum mihi exiſtimem. Sed ut eo, unde digreſſus ſum, redeam, Hippocrates, Medicinæ parens, *ſiccas aeris conſtitutiones ſalubriores, minusq; lethiferas eſſe* ſcribit. Conſtat enim putredinis fomitem ac fontem eſſe aduerſariam ſiccitati humiditatem. Quid? an illud non puerile ac planè ridiculum videtur? *Eò ad bella*, inquiunt, *concitantur animi, quòd aer æſtuoſus in corpus ſe noſtrum ſenſim ingerit, inſinuatq; , artusq; omnes perreptat, ſicq; martiales quaſi faces quaſdam in ipſa cordis penetralia infert. hinc ſpiritus inflammati mox æſtuant, & ſanguinem humanum ſitiunt ſcilicet: hinc furore correpti mortales paſſim cædes ſpirant: hinc furialis illa bellandi libido exardeſcit: hinc ſtudium illud tam vehemens, Aere ciere viros Martemq; accendere cantu.* O delirationem incredibilem! o ridiculam & futilem rationem? longe alia eſt bellorum cauſſa. Inſpice conſilia, & actiones Principum ac nationum, furores populorum conſidera, excute mores hominum, vitæq; rationem

omnem

omnem expende, refer oculos ad origines & cauſas bellorum ciuilium & externorum, quæ nullo adhuc cometa lucente excitata fuerunt, ac vix ſunt tandem multis cladibus reſtincta, vel quæ adhuc ardent, &, non niſi cum totius Chriſtiani orbis extitio, ſi nobis Deus non adfuerit, deflagrabunt. Hæc qui ſecum reputet, videbit certe nullo negotio longe aliam & initii, & progreſſionis, & exitus tantorum malorum eſſe cauſam, quam fumoſos iſtos cometarum genitores terræ halitus, & leuem iſtam humoris biliosi, aut ſpiritus, aut ſanguinis exæſtuationem. Magnis plerumq; conſiliis, neq; ita temere, ut in umbra & puluere Mathematico ocioſe deſidentes ſibi ſomniant, & ſuſcipiuntur bella, & geruntur: neque furor ibi magis, quàm ratio & prudentia, imperat: præſertim ubi graues multoq; uſu rerum pollentes Senatores conſilia ſua conferunt. Neque omnes, qui arma tractant, neque Principes omnes, qui bella gerunt, ita bilioſi ſunt natura: & ſi ſint aliqui, non ita magna bilis eſt copia, quin temporis progreſſu, in magno belli apparatu deferueſcat. Et ſane quantumuis magnam bilis vim minore labore, atq; impenſis, adde etiam periculis, detrahet quiuis, quàm ut neceſſarium ſit ad arma concurrere. Sed non poſſum hîc præterire ea, quæ ſcite admodum in eandem ſententiam Eraſtus ſcribit. *Quam felices*, inquit, *eſſent mortales, ſi à bile duntaxat in Principū corporibus coaceruata, bella omnia orirentur. Pauculo enim rhabarbaro, aut roſarum ſucco totam hanc peſtem extinguere poſſet prudens Medicus. Sic & ab hominum ceruicibus tantum periculum auerteretur, & immenſis pariter ſumptibus parceretur.* Addo ego: non omnes ſua ſponte, ac volentes, arma corripiunt: non pauci, inuitiſſimi, ſuam aut dignitatem, aut ditionem propugnare coguntur. Id fere nobis, ne longius exempla arceſſantur, cum Turcis uſu venit. Quod ſi Cometes belli cauſa eſt, cur non omnibus eundem

belligerandi ardorē ſtudiumque excitat, ut omnes libentiſſimi, nemo inuitus ad dimicationem deſcendat, bilioſus præſertim? ſunt, fateor, alii, quos non patriæ defenſio, non publica ſalus, non aræ, non foci, ſed auaritia, odium, iniuriæ, ambitio, & inſana falſæ gloriæ cupiditas, inſatiabilis quædam habendi, & regnandi libido ad omnem audaciam impellit. Sed ne hi quidem ſine magno conſilio rem tantam aggredi, & gerere ſolent. neq; vero, cum rei bene gerendæ locus eſt, diutius ſibi cunctandum, & nouam è cœlo cometæ alicuius expectandam lucem ducunt. Nemo unquam bellum ſine armis & copiis, raro ſine pecunia, quæ neruus belli vocatur, gerere potuit. Num arma etiam & diuitias Cometes cum animo bellicoſo confert? Iam ſi alterutrius exercitus tantam rationem ducit, ut ibi neceſſaria omnia ad rem ex ſententia conficiendam ſuppeditet: cur tam alteri parti iniquus eſt, ut eam & copiis, & viribus, & opibus, atq; adeo ſæpe etiam fortibus animis atq; audacia, victoria deniq; ipſa, ſpoliet? An etiam perturbationibus Cometam diſtrahi cenſendū eſt, ut hos amore, illos odio ſibi habendos, ob aliquam latentem cauſam, ducat? his fortitudinē & audaciam addat: illis ignauiam, torporem, timiditatem injiciat? hos bile ardentes, bellicoſos: illos phlegmate tardos, inertes, imbelles efficiat? O ſingularem Cometæ iniquitatem! Verum non lubet pueriles has nugas pluribus refutare. Hoc ſatis ſit oſtendiſſe, multa requiri ad gerenda bella, quorum in cometen cauſa, ut & belli ipſius, niſi à parum intelligentibus conferri non poteſt. Addo illud quoq;, quod eſt à viris doctis firmiſs. rationibus demonſtratum: corpora noſtra non à cometarum ſolum crinibus, aut barba, aut cauda, ſed ne ab ipſo quidē cœlo, quod tamen inferiora cuncta complexu ſuo continet, aliter affici, quàm inſita cujusq; natura patiatur. illud quippe cū uniuerſalis quædam & indeterminata cauſa ſit, particularem cuiuſq; definitum effectum, non niſi ex accidenti producere valet.

In

In animos vero noſtros diuinitatis quadantenus participes, ipſasq; adeo voluntates conſiliaq; noſtra, nihil iuris, nihil poteſtatis, vel meteoris, vel cœlo ipſi à natura, vel naturæ ipſius opifice Deo tributum fuiſſe: hominum autem, qui futura certo ac vere prænunciet, niſi inſtinctu inflatuq; diuino mirabiliter id fiat, non dubium eſſe, ut ante dictum eſt, reperiri prorſus neminem. Reſtat, ut pauca adhuc quædam de Regum ac principum interitu, quibus parum æqui præ cæteris iſti κοκητομαντεις ſunt, repetamus. Quæſo cur Reges magis eripiat cometa, quàm de plebe quemvis? an ſiderum cœliq; vis atque aëris temperamentum ad Regum magis, quàm tenuiorum hominum corpora pertinet? an ex aliis Regum, ex aliis item reliquorum hominum corpora, diverſisq; elementis coaluerunt? an aliter concipiuntur, aliter in lucem exeunt? an alium ipſi aërem hauriunt? alius eis nimirum lucet Sol, al a ſidera? Si vera ſint hæc, quæ de crinitis fabulantur, næ m.ſerrimi ſunt Reges. quid Reges dico? ne homines quidem, ſed trunci erunt aut caudices. quippe in eorum non corpora ſolùm, verum etiam in ipſos quoque animos, merum cometa imperium exercet, atque adeo vitæ neciſq; poteſtatem habet *At maior*, inquis, *horum cura cœlum tangit. Sacrarum quoq; literarum monumentis proditum eſt, cor Regis in manu Dei e e.* Vere. ſed quid hoc ad rem, qua de agimus? quid hinc efficiunt? nihilo plus ſane, quam ſi ego item, quod alibi ſcriptum quoque eſt, reponam: *Solem æque bonis ac malis illuceſcere Dei voluntate.* Verum utrumque ridiculum ſit hoc loco. Quod ſi libros adeas, ex quibus hæc detorquentur: ſi antecedentia, ſi conſequentia, ſi totam denique orationis ἰκ τομίαι conſideres, ſtatim intelligas id, quod dixi, nihil illa ad hunc locum pertinere. *At* enim *delicatiores ſunt Reges, & victus ratione utuntur ea, quæ idonea ſit ad recipiendum cometarum effectiones; contra autem promiſcua multitu-*

*do robuſtior eſt, & craſsis plerunque cibis ſeſe ingurgitat.* Ludere diceres, & facetias ſtudioſe conſectari, non ſerio agere urbanos homines, niſi vultu ad omnem ſeueritatem compoſito, atque elato ſupercilio, ſeſquipedalibus, ut Poeta inquit, verbis hæc effutirent. Reges bene conditis, ac bonum ſuccum procreantibus cibis miſere interire; remiges vero, vt tuus Scaliger inquit, & fabros & vitrarios, & meſſores, allio, bulbis, cepullis, ulpicis, ſale, vino, pipere differctos, non mori, id vero inprimis eſt admiratione dignum. Sed heus tu, non omnes Reges ita viuunt delicate, ut tu tibi opinionis errore fingis; neq; omnes iis cibis veſcuntur, qui tantam primum in corporibus, deinde in ipſis quoque eorum animis tempeſtatem concitent: neque omnes uno eodemq; ſunt, vel corporis habitu, vel partium temperamento. Quo fit, ut cunctos Reges, non una vis caloris, ac ſiccitatis poſsit attingere. Quin ſunt aliqui frigida natura præditi; alii hanc ſibi intemperiem acceſſunt, dum cruditates aggerunt; alii libidinoſa & voluptaria vita ſibi malum procurant, aliqui iam ſenes etiam ſunt. His omnibus non exitium, ſed ſalutem adfert calida & ſicca aeris conſtitutio, quam Cometas efficere volunt. Nullum igitur à Cometa Regibus malum impendet, ſed ſalus potius eſt expectanda. Sed ſit ſane eiuſmodi princeps aliquis, qui non aliis cibis utatur, quam qui bilem augeant, quique inductum â Cometa aeris vitare æſtum nequeat, ſemper ſub dio iacere, Solisq; ſe ardoribus excoquendum dare neceſſe habeat: huic certe febris, & aurigo potius, quàm belli ſtudium, imminebit. Vt breui concludam: nullus annus eſt, quo non alicubi Princeps aliquis aut naſcatur, aut etiam moriatur, idque etiam nullo Cometa apparente. Quare nec ſunt ſigna, nec cauſæ eorum aut ortus, aut obitus. Id ſi fit, tamen aliquando lucente Cometa temere fit, atque ex accidenti; perinde (ut magnus ille Caſertæ Epi-

ſcopus

ſcopus, Anton. Mirandulanus, ſcribit ) ac ſi aliquo lauante in balneo, coruſcaret. Fiunt hæc ex materiæ neceſſitate. nihil cœlo cum Imperatoribus & Regibus ( magis quàm alio quouis è vulgo) negocii eſt, Cœlum enim cauſa eſt uniuerſalis, quæ beneficio motus & luminis ( addunt tertiò loco plerique è Mathematicorum grege neſcio quam occultam influentiam ) omnia, quæ ſunt in hoc mundo inferiore, nullo diſcrimine alterat & vegetat, nullam interea rerum ipſarum cognitionem habens. Sed nolo omnia perſequi. neq; enim operæ precium eſt longiorem in re futili parumq; firmis rationum momentis ſubnixa convellenda, orationem conſumere. in quo nimirum Philoſophi conſilium ſequor, qui ait : εὐηθὲς εἶναι τοὺς εὐήθεις λόγους λίαν ἐξετάζειν. Atque hæc quidem habui, mi Crato præſtantisſime, quæ tibi reſponderem. quæ ipſa profecto, cum ad reſcribendum tibi calamum ſumpſi, non fuit animus tam copioſe examinare, atque utriusque noſtrum ocio, tam imperanter abuti ; ſed ſcribenti, ut fit, aliud ex alio incidebat. Quæ cum perlegeris, fac ut intelligam, quid inprimis improbes. niſi adhuc, quod nolim, non ſatis recte vales. Equidem inualetudine tua vehementer conturbor. Cæterum, quod ad Eraſti ( quem ego virum, illius ſane merito, magnifacio ) ſententiam de putredine attinet, ea mihi nondum bene perſpecta eſt, nec dum enim eius hac de re commentarios vidi. Quæ de illius morbo adſcribis. vix credas quàm me valde perturbarint. legi quæ Cardanus de morbo, quem vagum vocat, ante multos annos ſcripſit, multa congruunt. Tam multos certe flatus, qui totum corpus ita perreptant, ut cutem diſtendant, eamq; à muſculis etiam ſeiungant auellantque, caloris innati imbecillitas difficulter diſcutiet : in illa præſertim ætatis inclinatione. Sed confido tamen fore, ut vir vita dignisſimus ſanitatem recuperet. quod votis omnibus à Deo expecto. Hieron.

Mercu-

Mercurialis, præſtantiſsimi Philoſophi & Medici Patauini, opinionem non probo, ſi *nullam eſſe peſtem* affirmat, *niſi cum ab aëre peſtilentibus ſeminariis putridisq́ μιάσμασι corrupto atq́ inquinato, humana corpora inficiuntur, lethalemq́ labem hauriunt, penitusq́ in viſcera recipiunt.* Pugnare item cum ratione videtur id, quod, niſi fallor, docet, *non eſſe peſtem illam, cum pauci exſtinguuntur, & non tota urbs, ac prouincia aliqua integra funeribus repletur.* Nam etiam ſine aeris corruptione, etſi non ita paſsim, multi tamen poſſunt malignos humores cogere, qui putrefacti veram peſtem in aliquo gignant: quæ deinde peſtis particularis, contagione ad alios ſerpente, peſtem abſolutam, & uniuerſam efficit. Morbi enim genus, & vim atque eſſentiam, non ægrorum aut intereuntium multitudine, aut paucitate, (numerus enim ſubſtantiam non conſtituit:) ſed ipſius morbi proprietatibus, perpetuisque cauſis, aut effectibus metior. De qua re tota rectius equidem judicare poſſem, ſi tuos de putredine libros, quos iam ante xx. annos publicè literatis promiſiſti, tandem aliquando videre poſſem. Quos quidem libros, ut non ſine multorum, tui cupidorum, iactura nimis diu premis: ita Philoſophiæ ac Medicinæ ſtudioſi poſſunt à te, ſuo quodam iure efflagitare. Vale, meque, ut facis, ama.

*Ex ſolitudine mea Paſcouiana, apud Moranos, pridie Kal. Mart. M. D. LXXIIX.*

# DE
# COMETA
## IN VNIVERSVM,

atque de illo, qui Anno 1577.
viſus eſt,

*Opinio*

MARCELLI SQVARCIALVPI,
PLVMBINENSIS:

*Ad*

*Ampliſſ. & ſapientem Virum*

ANDREAM DVDITHIVM,
Cæſaris Conſiliarium,

*Vulgus latè patens.*

NVnquam dubitaui, Patrone clemens, vulgi Regnum ( vide quàm honeſto vtar verbo ) eſſe magnum : hoc eſt, quamplurimos eſſe mortales, qui vulgi opinionibus delectentur. Sed eſſe tantam copiam hominum credulorum , nunquam potui ſuſpicari. Quis enim putet viros doctos, Mathematicos, Phyſicos, Theologos item ipſos , non raro ex medio vulgo eſſe? Attamen res ipſa vincit, inter eos qui literati habentur, & ſunt, magnam eſſe non rarò veritatis inſcitiam. Atq; ita rem ſe habere, cum alia multa, tum verò vnum iſtud nos docet, quod multi ſunt, & ii quidem egregii viri, qui *Cometam* ſcribant *ominoſum quiddam eſſe, portentum eſſe,*

*Commune error.*

*formidandam eſſe flammam, à qua tumultus, bella, ſeditiones, clades, generoſi & heroici generis interitus, aliæ multæ peſtes impendent.* Credas velim, ampliſſime vir, multos eſſe annos, cum iſtam opinionem non ſolum non probaui, ſed in animo meo riſi. Verùm hoc anno, tam illuſtri Cometa viſo, ac ſæpe diligenter obſervato, commune iſtud iudicium ( ſi tamen ſine ratione iudicium ) non poſſum non ſuſpectum habere. Et profectò, vel primis diebus cogitabam in hoc argumentum aliquid ad meum vſum diſſerere : iamq; capita quæſtionis notabam ; cum ecce tibi ab amicis hortatio, vt currere ſtudenti mihi calcaria ſenſerim adhiberi. Scripſit Iglauia Ioh. Rucardus, Phyſicus inſignis, & probitate ſingulari vir, *vt aliquid de Cometa.* Reſcribo *me aliquid parare.* Interim certior fio, *eſſe qui commententur, & viros inprimis Philoſophos.* Tum ego dubius herebam, conſilium ſcribendi penè abiiciens. Cum autem eſſem Brunæ, ad te ex Bohemia contendens,

dens, *ecqui'*, ait vir ſapiens Iordanus, *Marcelle ceſſas? de Cometa nihil?* Cui ego? *quid ipſe audeam? ſcribent ſatis multi, & iam, vt audio, Rudingerus: Et ſi quid aggrederer, communem Aſtrologorum ſententiam laudare non poſſem.* Veni Paſcouiam: epiſtolam tuam de Cometa legendam tradis. Tum verò, ſi quid in animo incerti reſtabat, mox omne diſcuſſum eſt. Vidi te magiſtro, apertam eſſe illorum tarditatem, qui vulgus negligunt, dum cum eo ſentiunt de Cometa. Sed illud maximè intellexi, te de hoc genere diſputante, mihi præſertim eſſe ab hac ipſa quæſtione abſtinendum. Sed noluiſti hoc tum ferre, & neſcio qua opinione adductus mihi autor fuiſti, vt ad ſcribendum accederem. Jam cum Brutus nobilis orator quæſtionem Eraſti miſiſſet, acutisſimi & ſummi Philoſophi; legeremq; iſtius iudicium à tuo minimè alienum; vt item legi Cratonis verba hæc: *De Cometa quid ſcribam, neſcio, Neq; enim vnquam intellexi, quid ille ſit:* cum item Brunæ à te reuertenti mihi dixerit Jordanus, *hanc vulgi opinionem ſe dudum riſiſſe*: decreui tantorum ſapientum auſpicio, absq; cunctatione mihi eſſe ſcribendum. Quare accipe, mi Patrone, quæ de Cometa mihi ad Rhætos Alpinos proficiſcenti in mentem venerunt. Et inprimis caput illud aduerte, vbi Ariſtotelis doctrinam examino, quem tu magiſtrum in hac re tibi minimè probatum, noluiſti tamen refellere. *Cauſſæ ſcribendi.*

Jam vt ordine aliquo vtar, prius afferam diſputationis inſtitutum; poſteà deſcendam in hunc tam arduum diſputandi campum. Differendum eſt primùm, oratoriè tamen, vt decet, *contra ineptos Aſtrologos*. Deinde contra Peripateticos, preſſa magis & graviori methodo, *de natura, cauſis & effectibus Cometarum.* Demum contra illos, qui rem non ſolum Phyſicam, vt Ariſtoteles; verùm *monſtrum horrendum Cometam eſſe* vociferantur. Et hæ ſcholæ omnes propriis lo- *Cap. I.* *Ratio diſſerendi.*

 cis,

*Excuſatio.* cis & rationibus confutandæ ſunt. Sed hoc loco harum ſcholarum viros inſignes & probos oro, ne de ſe ſcribi putent. Prædico, profiteor, me bonorum ac ſapientum hominum in omni genere atque ordine ſtudioſiſsimum eſſe: nimium audaces laudare non poſſum. Et, ſi quid erit ad ſummos viros Phyſicos & Mathematicos, idipſum non vincendi nimio ſtudio, ſed amicè diſſerendi, factum à me fuiſſe contendo. Vident lectores, non me arroganter agere, non conuicia hic vlla, neq; hominum contumelias eſſe. Rationes in medium afferam. Quare nullus in me æquus & iuſtus lector poterit commoueri. Sed ad propoſitum. Contendam, *Cometis naturam eſſe etiam nunc ignotam*: ex quo fiet, ut nulli ſint *Propoſitio.* iſtorum terrores, & vaticinia penitus nulla. Demonſtrabo, *infirma horum eſſe argumenta, & ea, quæ timent & ſpargunt, primùm leuia, poſt nefanda eſſe, demum nullo pacto fieri poſſe*. Dicam in fine, *quæ mala poſt Cometam accidere poſsint, eadem tamen à Cometa nullo modo eſſe*. Sed iam noſtros Aruſpices audiamus, qui omnes uno clamant ore:

*Nunquam futilibus excanduit ignibus æther.*

Et addunt:

*Nunc grauibus morbis, & lenta corpora tabe*
*Corripit exuſtis lethalis flamma medullis:*
*Labenteſq; rapit populos, totaſq; per vrbes*
*Publica ſuccenſis peraguntur fata ſepulchris.*

Vniverſi demum Aſtrologi, Ptolemæo duce, quidam quoq; Medici, & nonnulli Theologi, à *Cometa* dicunt, *dira, horrenda, peſtes, clades, excidia, humano generi importari*. Qui-*Timidus.* bus vocibus auditis, Patrone, vel in montium cauernis latitandum nobis, & hominum conſpectus cauendus eſt: vel videndum, quid rei ſit, quid iſti tam audacter minentur. Metuere ſine cauſa, deſipientis eſt hominis. quare hoc ego, te præſertim duce, non committam. Rei verò na-

turam

ſuram inueſtigare, viri ſane non tardi, atq; adeò perſpicacis eſt. Quare hoc potius mihi agendum. Primùm, hoc genus hominnm, cum dixerit de natura, ad poetas adit; qui poetæ, niſi materiam philoſophicam tractent, philoſophica gravitate, dicam etiam veritate, impunè abſunt. Neq; interim vident, Poetarum Deum non modo *Cometam formidandum* ſcribere, verùm ipſa *fulgura* nemini horrenda. *ſolers.* *Poetæ licentia.*

*Non aliàs cœlo ceciderunt plura ſereno*
*Fulgura, nec diri toties arſere cometæ.* *Verg. Georg. I.*

Sed uti nemo tam eſt ineptus, tam ſtolidus, qui ſuſpicetur fulgura portenta eſſe: ita certum eſt, cometam nihil diri, nihil mali portendere. Nam, ſi pars una ſententiæ hujus pueriliſ eſt, quî fit, ut altera eiusdem ſententiæ parte, quæ de Cometa eſt, vulgus velint perterrefieri?

Sed mittamus poetas, (quanquam ſcio Virgilium & alios inſignes vates Philoſophos fuiſſe) & magiſtros maximos excutiamus. Princeps Doctor Ptolemæus eſt. auſim dicere nihil fieri poſſe leuius eo aphoriſmo, in quo is docet, *ſtellarum traiectiones, bellorum eſſe indicia.* Proh Dei Maieſtatem! Quale hoc eſt? Nulla nox eſt, (ſi tamen abſint nubes) quin multas videamus eiuſmodi traiectiones. Videmus ab omni cœli ſede, ad omnem cœli partem exhalationes iſtas ardentes ferri; & adhuc ſomniamus, res tam naturales, tam frequentes, tam vulgares, miracula eſſe? ærumnoſa eſſe? Et qui tam abſurdas res tradit, is dignus habetur, cui fidem adhibeamus? Et qui in re tam illuſtri hallucinatur, is humanum genus in rebus occultis, & à nobis remotiſſimis inſtituet, docebit, arbitrio ſuo & vocib. terrebit? Sunt igitur traiectiones formidandæ? bella, cædes portendunt? At verò naturæ prudentes, ventorum, ſiccitatis & æſtuum notas eſſe dicunt. Cur non fiunt quotidiana & diurna bella, ut quotidiana ſunt huius generis phasmata? Quòd *Cap. II.* *In Aſtrologos.*

ſi vera Ptolomæus docet, quorſum damus, naturæ, vel cœlo, vel dæmoni, vel Deo Cometas ad bella ferenda & indicanda? Rem ſanè palmariam narrant, cum Ptolomæum id ſcribere dicunt. At verò contradicunt Phyſici, affirmant grauiſſimi viri, & ratio ipſa vincit, nihil magis ridiculum ſcribi poſſe, quàm *igneas traiectiones bella ſignificare.*

Neq; illud minus abſurdum, immo longè omnium abſurdiſſimum eſt, quod Mizzaldus docet, Ptolemæi iudicium probans. Is enim non ſolum credit haſce exhalationes notas, ſed *ſi hæc rectà ferantur, neq; deflectant,* aſſerit *eſſe malorum omnium ſigna.* Erunt igitur Mizzaldo ſemper, & omnibus locis, omnes calamitates, famis, peſtis, bellorum, terræ motuum, ferarum immanium, cum ſemper omnibus terris, & cunctis anni partibus, atq; diebus iſtæ obliquæ ſiderum traiectiones exiſtant. Sed hæc ipſa, quæ ab omni veritate abhorrent, ferenda tamen ſunt, ſi cum eo, quod ſequitur, conferantur. Hæc audiant omnes naturæ ſtudioſi; obſeruent hoc unum Aſtrologiæ cupidi; omnes demum cometam timentes hunc unum locum expendant. Ait Mizzaldus medicus phyſicusq;, *nubes ipſas à varia planetarum vi varios colores habere*; unde aſſerit, *ſe ex iſta colorum varietate multiplices rerum euentus non rarò prænuntiaſſe.* Nemini, qui vel ſummis labiis phyſica guſtarit, eſſe dubium poteſt, nubes omnes eſſe nebulas in aere denſatas; nebulas autẽ ex vapore tenui eſſe, qui vapor eſt aqueus halit⁹ lunæ ac ſolis vi è terra in ſublime elatus. Vna eſt materia ſemper nubium, diſcrimina ſunt leuia, in loco, raritate, ac denſitate, in ipſa quiete ac motu, nec non in colore. Neq; vlla tamen ex iis rebus à vi ſtellarum præcipua & malorum euentuum effectrice fit; ſed à ſolo cœli calore, à materiæ diuerſitate, à terræ & aquæ ratione, à ventis. Color autem nubium

*Mizzaldi levitas.*

*Nubes variæ.*

bium varius eſt, cum propter ſitum, tum propter earum variam denſitatem. In meridie, cum nubes pariter à ſole illuſtrantur (ſi tamen ſit vnus gradus nubium) albæ omnes æquè apparent. Sed in ipſo ſolis ortu & occaſu variè colorantur. Atq; huius rei cauſa eſt nubium poſitus non unus, & gradus in aere multiplex. Nam proximæ ſoli nubes valde rubent ac fulgent; remotæ verò minus. Fulgor enim corporis illuminati tum eſt maior, ubi minus à lumine abeſt. Liuor autem & obſcuritas nubis à diſtantia ipſa fit ſolis.

Quòd ſi Mizzaldus nubium colores obſeruet ſole ſub horizonte proximo hærente, cum, inquam, radiorum effluxus non omnem aeris oram tenet, videbit altiores nubes puniceas, humiliores purpuraſcentes, humilimas autem & terræ proximas, liventes & atras. Omnes demum nubes, quamvis denſitate differentes, iam ſole ſupra horizontem exiſtente, vno rubore nitent, vti veſpere à rubedine varia ad æqualem obſcuritatem, ſole iam latitante, perveniunt. Quod ſi Ptolemæus ac Mizzaldus, ille ex antiquis, iſte ex recentioribus magiſtris, tam ſunt inepti; quantum aliis credendum erit? Et, ſi in rebus apertis & phyſico exploratis iidem cæcutiunt; quid in Cometa videbunt, de cuius natura & cauſis viri maximi diſſenſerunt? Mitto, Platonem, Ariſtotelem, Galenum, de Cometarum pernicie nihil, quod ſciamus, diſputaſſe.

Sed nolo hominum iudiciis pugnare: ad ipſum Ptolemæum. Etenim propriis magiſtri decretis volo ſcholam Chaldæorum oppugnare. Et, ſi monſtrem, leuem eſſe huius Ducis doctrinam, quem ipſi nimium colunt; poterunt poſthac qui timidi ſunt, viſo cometa, paulo minus, Deo ac veritate fauentibus, trepidare. *Scorpii cometam* (ſuum enim ſingulis planetis ac Signiferi formis cometam tanquam filium aſſignant) dicit Ptolemæus, Mizzaldo teſte, *in occaſu* *Cap. III. Levitas Aſtrologorum.*

*pluuias*

*pluuias, nonnullis autem ſiccitates præmonſtrare.* Nempe, ferendum eſt Mathematicos ita docere, unum ac eundem cometam cauſam eſſe diluuiorum & incendii, pluuiarum & ſiccitatum, ignis & aquæ nimiæ. Pergit Mizzaldus, *Lunares Cometas* [ audi Ptolemæum ] *populis & fœminis neſcio quid mali minari.* Rideo, quanquam inuitus. Hoc loco nimium ſapere videntur. *Minatur luna Cometa populis & fœminis.* O miſellum fœminarum genus! Populi pars non eſt fœmina.

Quis ita vnquam ſcripſit ſanus? quaſi verò ex plebe non ſint opifices. Sed eſto: licet indulgere: Populis & fœminis minetur luna. Quid porrò? *Neſcio*, dicit Aſtrologus, *quid mali.* Itane? His minis mundum deterrent? O nimiam vulgi credulitatem! Sed verè ſcribunt. Neſciunt quid mali à luna proficiſcatur, cum id, quod eſſe nequit, à nullo homine ſciri, aut intelligi poſſit.

Addit Mizzaldus, de Ptolemæi ſententia, *Capricorni Cometam alicubi rixas efficere: Sagitarii verò, labores grauidis periculaq; inferre.* Vtraq; ſententia tam eſt leuis, tam nugatoria, vt non egeat confutatione, ſed ſilentio explodenda ſit. Qualis enim eſt vaticinatio, *Rixæ erunt alicubi*: cum nullibi non rixæ ſint, & magnæ contentiones, in tanta mortalium, ingeniorum, ſtudiorum, & (quod mœrens dico) religionum varietate? Quid verò de prægnantibus dicam? Mirarer, ſi citra laborem eſſet grauiditas. Vtero enim gerentes omnes moleſtiis multis opportunæ ſunt. Sed ad Lunam. ait Mizzaldus ex Porphyrio, *lunares Cometas in occaſu eſſe omnium bonorum prænuncios.* Primùm hîc videmus Ptolemæum, cum aliis ferè cunctis, vniuersè à lunæ cometa timere: Porphyrium autem adhibere generis diſtinctionem: dum in occaſu feliciſsimum hunc eſſe tradit. Vix etiam ferenda ſunt, quæ Ptolemæus prognoſtica

*Porphyrius.*

habet,

habet, vt ait Mizzaldus in libris de Cometa, vbi inquit: *Imminere mala vel Regi vel regno, vel viro alicui principi. Et ſi non moritur princeps, tamen vel ab hoſte, vel nuncio moleſto periculum eſſe: & damnum accipere in bonis, vel corporis, vel animi, vel fortunæ.* Quo quidem præſagio quid ſcribi poſsit inſcitius, equidem ignoro. Ecquis enim eſt mortalium, qui ignoret, omnibus terris & nationibus hoc fatum fixum eſſe, idque vel Dei decreto, vel naturæ neceſsitate, vel utraque de cauſa, ut aut domino, aut principi viro, aut ipſi regno, ſemper aliquid mali accidat, ſi minus turpitudinis, at valetudinis ſaltem, aut fortunarum? Quænam præterea cauſa ſubeſt, quamobrem exiſtente Cometa, mortales pene omnes vulgò & paſsim expaueſcant? Veritas ipſa omnes iſtos redarguit, ipſis etiam profitentibus hoc ipſum. Dicunt Aſtrologi, *non impelli hominem à ſtellis: liberum eſſe Deum, nec minus clementem quàm præpotentem, hominisq́ conſilium & voluntatem* ſtatuunt *cum cœlo pugnare poſſe.* Cur ergo vulgus trepidat? vulgus inquam. Immo & nonnulli docti viri pauent, & pauorem porrò ſuum animis imperitorum incutiunt? Qui ſermones diuulgentur, non ignoras, mi Patrone. quid ſcriptorum editum ſit, videmus & legimus. Sed videant hi ſcriptores, quàm ſolido nitantur fundamento, cum omnes Ptolemæi iudicio & grauitate confidant. Hic enim ſcriptor non modo abſurdè, ſed impiè quoque ſcripſit, *Exoratum à nobis iri Deum, ne à Cometa lædamur, ſi luna cum Ioue coniuncta, preces illi fundamus.* Quanta ſit in hoc ſermone pietas, veritas, omnes intelligunt. Sed reliqua videamus.

*Aſtrologi oppugnantes.*

*Ptolemæi pietas.*

*Cap. IV.*

Vna eademque ſchola eſt, quæ Cometam infauſtum dicit, & ſingulos dies, adeò ſingulas diei horas, ita notat, & per varios cœli ac ſtellarum ſitus digerit, vt iubeat, quando in balneum deſcendendum, quando catapotia, ſirupus, vel

bolus aſſumendus rectè ſit. Iidem Aſtrologi Hippocrati & Galeno præſcribunt, quando vena ſecanda, & ex venis quæ, num axillaris, vel humeraria. Neque verentur de cucurbitulis edere decreta, ſcarificata vel integra cuti, prout ſtellarum ſenatus ipſis unis pronunciarit. Atque hi demum ſunt Cometarii vates, qui capillorum tonſuras & vnguium reſectiones, pront ſtellæ juſſerint, obſeruari volunt. Et quantum illud eſt, cum dicunt *certis terris & populis à Cometis damna imminere, quia variarum ſtellarum vis, diuerſas terræ partes & iuuet & lædat?* Dicere auſim, hanc tantam varietatem eſſe omnibus hominibus incompertam. Ipſi etiam Aſtrologi de hac re pugnantia decreuerunt. Et ſi quis illorum ſcripta legat, videbit inter ſe contendentes Perſas, Aegyptios, Hipparchum, Ptolemæum, veteres & recentiores magiſtros. Quo in genere unum afferam, unde ſcholæ huius infirmitas manifeſta ſit. Dicunt, *ſigna Cancri & Virginis inſulis Oceani cunctis praeſſe.* Pudet me (ita me Deus amet) de iſtis agere. Scilicet Oceanus piſcina quædam eſt, aut anguſta aliqua Maris pars; ut cum tanta aquarum immenſitate, tantisq; locorum ſpaciis, & copia inſularum innumerabili, duabus his imaginibus obnoxius ſit. Quòd ſi Cometæ à ſtellis vires habent, & his aut illis gentibus minantur, ut iſtæ ſunt ſtellis variis addictæ; atq; iſtud conſortium, & ius cœli cum terris, nobis abditum ſit; quid iſti ſibi velint, neſcio, niſi ut nimiam ſuorum doctorum inconſiderantiam apertam reddant. In Inſubria, exempli cauſa, Mediolanum ſol, Comum autem proximum lunæ commendatum erit? Quis terras, & non terras tantum, ſed oppidula, & pagos, ſignis ac ſtellis propriis donauit & tradidit? Et, ſi Deus id fecit, quis iſta unquam ab eo accepit? Et, ſi in ſingulorum hominum ortu nihil certi habent, quid ſtatuent indubitatè in urbium & oppidorum origine?

*Ridiculi Aſtrologi.*

Sed

Sed Aſtrologis in præſentia prætermiſsis viros longè grauiſsimos audiamus. Si quis patremfamiliâs vetuſtas domos demolientem, & nouas ædificantem pulchriores primis; familiam increpantem ſuam, curantem tamen, ut ne quid vel cibi vel veſtium deſit; & filios non rarò cædentem, cum peccant aliquid, tamen ad literarum ſtudia, & virtutes omnes, ac pietatem inſtituentem, vocet *non bonum*, imò *crudelem*, & *cauendum*, quo nomine eſt appellandus? *Cap. V. Camerarius.*

Si quis agricolam, qui ſiluam denſeſcere ſinat, & iaciat in eam lapides ex agro, & pratis, glabreta, infœcundamq; terram negligat, interea vineas & agrum colat, vocet *imprudentem* aut *inertem*, qualis eſt homo habendus?

Si quis diem, in quo pluuia ſit magna, & ſimul manna decidat multis in locis, *infauſtum* vocet, atque *infelicem*, quàm erit homo iſte prudens cenſendus?

Camerarius, tanti nominis vir, *infelicem eſſe*, ait, ſuam ætatem illam, in qua ſcribebat, cum extitiſſet Cometa, cum eſſent alicubi bella, & annonæ caritas: quæ mala nunquam non alicubi neceſſariò ſunt, & ſemper fuere, & futura ſunt: interim ſcribit in Epilogo hæc verba, unde ſumma hominum felicitas rectè ac meritò continetur, ſapientum omnium ſuffragiis id approbantibus:

*Reſtitutus eſt nitor bonarum artium hac noſtra ætate, & veritas doctrinæ patefacta eſt, aperta ſunt itinera ſapientiæ atq; virtutis. Cognitionis æterni Dei eſt nunc incolumitas: Errores enim demonſtrati religionis & impietas, & mendacia detecta.* & epiphonemate omnia claudens, ait: *Multis bonis auxit ætatem noſtram propitius Deus, & quaſi armauit adverſus calamitates & maximas impreſsiones.*

Annon eſt Camerarius illi ægroto, qui *medicum* ſuum *ferum* appellet *ac formidabilem, quia cures fricari, corpus abſtergi, puſtulas aliquando excitari*; mox tamen ſubiungat, *fe-*

*ra ſe ſcabie eſſe liberatum, paralyſi abſolutum, erutum ex maxima febri, & initiis melancholiæ ſublatis, in hominem alium phyſici beneficio euaſiſſe?*

Eſt perpetuus, & conſtans in mundo ariditatum, æſtuum, gelu, alluuionum, copiæ, caritatis circuitus, & ſumma varietas. Non potuere vlli vnquam populi non ſe vexare mutuis damnis, & cladibus, modò ciuilibus, modò externis bellis afflicti. Viguere ſtatis temporibus, vel potius incertis, humanæ vitæ ſcelera, vitia cuncta: poſt vitia virtutes viderunt omnes gentes, & poſt virtutes nefaria facinora ſubſecuta ſunt: & hanc tantam vicisſitudinem nondum agnoſcimus? Et, ſi ad àrma eatur, proinde perturbamur, atque ſi rem inauditam videamus accidere? Et res uſitatisſimas, antiquiſsimas, quotidianas, neceſſariò incidentes, viſo lucido Cometa volumus à cœlo, vel fieri, vel portendi? Et propter bellum, in quo corpus affligitur, & ubi ex mille vix unum habeas non eo exitu dignum, non raptorem, non furacem, non violentum, non humani ſanguinis auidiſsimum, vocamus ætatem, aut annum luctuoſum, à phaſmate infelici editum, cum eadem ipſa hora fateamur, non eundem ſolum annum, ſed integram ætatem 40. annorum eſſe beatam, eſſe verè felicem. Conferat Camerarius rem cum re, tempus cum tempore, iudicium cum iudicio, cauſam cum cauſa, malorum & bonorum. Luget muliebri eiulatu, quòd rapaces & impii trucidentur, quòd panis minuatur à piſtore, quòd fame magiſtra diſcant ſe homines minus infarcire, minusque abdomen diſtendere. Neque videt vera bona eſſe, virtutem, honeſti ſtudium, literarum cultum, religionis ac pietatis veras poſſeſsiones. Belli labores anno primo. 2. 4. 10. 20. finiuntur. Sed literarum ac religionis inſtauratæ ſtudia iam ab annis 70. vigent, ac florent. Quis autem tam temerarius eſt, qui non timidè, non ambi-

guè

guè (aſtrologos nonnullos excipio) de Cometæ vi, ac eventis ab eo editis differat? ſuſpiciones quædam ſunt, leveſque opiniones, & vulgi quædam ſuſpicio iſtos adducit ad metum, ad vaticinia iſta commentanda. ſed vigentibus literis, artibus liberalibus ubique excultis, Academiis multiplicatis, ludis almæ ſapientiæ tam frequentibus, tanta æmulatione mortalibus ad veri cognitionem & rerum intelligentiam contendentibus, linguis omnibus, & diſciplinis, medicina, Juriſprudentia, Theologia ubique regnantibus, quam verè, quam ſolidè, quàm rectè poſſumus nunc affirmare, virtutis eſſe Regnum, & aureum beatumq; ſeculum, non Saturni, ſed Palladis, nunc eſſe reſtitutum! Si *aperta ſunt* (ut ait Camerarius) hoc ſeculo *itinera ſapientiæ atque virtutis*; ergo multi ſapientes, multi virtute præditi. Hæc omnia faciunt homines, dum inquirunt ſapientiæ fontes, dum proſequuntur adyta virtutis. Non angeli, non dæmones mali, non ſimiæ, ſed homines ipſi ſunt virtutis, & ſapientiæ magiſtri. Neque multi ſunt boni magiſtri ſine copiæ bonorum auditorum. Quis angulus eſt in Europa ab Euxino ad Oceanum Atlanticum, & Ibericum, Anglicumque, ubi non ſcholæ pateant multæ ac celebres, tanquam fana omnium diſciplinarum & artium, præſertim Juriſprudentiæ, Philoſophiæ, Medicinæ, Theologiæ? Quando plura collegia? quando majora? Quando frequentiores aut majores inter literatos æmulationes? quando plures officinæ librorum? quando tanta fuit ſcriptorum & acutiſſimorum in omni genere copia? Sed noſtro ſemper in agro ſeges tenuior; aliena inſpicimus; vetera contemplamur; præſentia mala ſentimus, futura non poſſumus percipere; præterita vel ignoramus, vel horum obliviſci ſtudemus. Neque unquam fit, ut præteritorum bonorum copiam, & pondus, & excellentiam, vel agnoſcamus, vel ingenuè recogno-

cognoſcamus. Conualeſcentis hoc proprium eſt, inepti tamen, ut leuiſsimum quemque digiti dolorem dicat eſſe ſummum, & nunquam ſe talem expertum; cum nolit confiteri, aut vix quidem, grauiſsima fuiſſe, quæ ſublata ſunt mala. *Reſtitutus eſt* ( ait Camerarius ) *hac ætate bonarum artium nitor, errores demonſtrati religionis, & mendacia detecta ſunt.* Ergo plures quàm prius boni, docti, prudentes, plures pii, certiores Chriſtiani, excellentiores Philoſophi. Et cum tanta bonorum ac virtutum excellentia, copia, frequentia, cœlum dicimus iratum, quia lux noua crinita, barbara, comata fulſerit? quia bellum indicatur, geratur? quia mare Oceanum æſtuet? quia caui montes concutiantur? quia latrones latrocinia ſua exerceant? Et ſimul annos duos, tres, decem dicemus luctuoſos, & deplorandos, ætatemq; ipſam univerſam quinquaginta & 70. annòrum, dicemus artibus, ac diſciplinis, ingeniorumq; ſolertia, vera & puriore religione ornatam? Talia ſunt noſtri Camerarii ſcripta, tantæque portentorum prædictiones.

*Cap.* VI. *Peucerus.* Peucerus, poſt Camerarium, vir ſanè magnus, in volumine ſuo de Diuinatione *proluuiem eſſe* dicit *uniuerſi prodigium.* Credo hunc id ſcripſiſſe, quia legi: referentibus aliis vix crediiſſem. Et *à proluuie* dicit *bella, hoſtem peregrinum, cædes, direptiones, & incendia portendi.* Primùm, vir iſte horrendam certamq; perniciem generis humani, diluuium, inquam, putat eſſe ſignum incerti ac leuioris mali, cum proluvies tribus diebus ingentes inferat agris, pecoribus, & oppidis calamitates: bellum autem ſæpe mouetur & geritur ſine magno damno, neque rarò cum lucro. Et hoſtem peregrinum videmus aliquando cum ſuo magno malo à finibus incolarum expelli. Deinde, quis probat proluuiem eſſe ſignum tot malorum? ita profectò eſt. aquæ vis nimia, ignis vim ſignificabit, aut efficiet? Volunt, Dudithi, *proluuiem*

*à Co me-*

*à Cometa, atque terræ motum proficiſci.* Et adjiciunt, *ab ipſa proluuie bella eſſe ac cædes:* cum tamen hæc mali genera à Cometa omnes metuant. Quid igitur bellum? Nunquid vt Cometa proluuiem, & proluvies bella; ita quoque bellum aliquid monſtri parturiet? Peucerus addit, *clades & calamitates à terræ motu metuendas eſſe.* Quaſi verò non quotannis tremat Italia, ſine vllo tamen iam diu motu armorum. Quid Gallia? quid Belgium? an non per hoſce viginti annos cædibus inteſtinis hæ terræ funeſtantur, cum tamen minimè, ut aiunt, concutiantur? Vidi ter, quater, duobus tantum annis tremere Alpes, ab annis ſeptuaginta, neque ulla belli ſuſpicio. Verùm dicent, *ſatis eſſe ſi Rhætia tremente, ſint bella in Gallia, vel ipſo Mediterraneo.* Bone Deus, quæ iſtæc ingenia ſunt? Annon ſatis eſt ſuperque magnum per ſe malum terræ motus, urbes quatiens, & ſæpe vorans, niſi præterea ab eo dicant metuenda eſſe damna, & acerbitates vel cogitatione ipſa & nomine tremendas. Et quid hoc eſt, *clades erunt & calamitates?* Num clades non calamitas? Et ipſa calamitatis vis quàm latè patet? Ergo ſi grandinet in agello, ſat erit calamitatis, & verus habebitur aruſpex?

Præterea Peucerus ait: *Quicquid inuſitatum eſt, id minari hominibus mala, non certa ſed in univerſum, ſiue à natura ſive ab Angelis, ſiue Dæmone, ſiue Deo.* Nunquam ego audiui, veram naturam, quæ non intelligit, poſſe minari. Neq; ab Angelis iratis metuendum aliquid eſſe ſcio. Quid enim Angeli ſine Deo? De Diabolo inferius dicam. Dei minas equidem horreo: ab aliis tribus timere, nimis timidi hominis eſt, vel ſponte, ut multi faciunt, metuentis. Quid levius hoc ſermone? Omne inuſitatum infauſtum? Ergo ſi beſtia non prius viſa, herba nondum cognita, monſtrum nouum, & ſpecies etiam pulcra in aere, in cœlo compareat, neceſſariò formidandum id erit, & verè ominoſum? Quam

*Peuceri portenta. & horum efficientes cauſæ Natura, Dæmon, Angelus, Deus.*

ſint

ſint leves iſti diuini, ut puto, patet. Nunc, mi Patrone, videamus, quam ſint iidem aſtuti, dum ſimul magni phyſici, & veri Chriſtiani videri volunt: dumq; fatum & arbitrium hominis, neceſsitatem cum inconſtantia rerum, cœlum terræ, Dei decreta abſtruſa cum fortunæ mobilitate confundunt. Aſtrologi, ſiue de vita hominum ſcribant, ſiue de Cometa, aut aliquo alio monſtro, nihil unquam certi, nihil explicati habent. *Sidera* dicunt *prompta* eſſe: *difficultatem ſe nonnullam videre, ſpem non leuem oſtendi.* Et ſubjiciunt obſcuris verbis (quò ſit ad veri ſpeciem receptus) *niſi caueamus, niſi prudenter agamus, niſi auertat Deus, niſi nobis ipſi deſimus.* Quare, velim, nolim, valdè miror, Peucerum in re tam dubia, in tantis coniecturis, pro certo aſſeuerare, à *Cometa non peſtem ſolum oriri, ſed æſtus & procellas; terræ inſuper motus, aere torrefacto, & corporibus noſtris uſtulatis,* (videt univerſa Germania, num hoc anno uſtulemur) *bella item, ſeditiones, omneq́ ſæuum, violentum, exitiale, mortiferum, incertum, varium, mobile.* Qualia iſta ſint, quamuc Philoſophum deceant, nolo iudicare. Quare ad reliqua. Quis non agnoſcat futilem iſtorum opinionem, dum *non ſolum poſt Cometam, ſed alia quoq́ viſa, cœli ardentis, pareliorum, etiam poſt terræ motum, quicquid acci at mali, vel anno pòſt* (ſi Deo placet) *octauo,* dicunt *id omne ab iis monſtris notari ac gigni.* Auguſtinus Niphus, Philoſophus non obſcurus, ad octauum annum vires Cometis produxit. Et Gemma Belga, nobilis inter Medicos & Philoſophos, *quadrageſimo poſt anno* (quis credat?) *poſſe fieri mala poſt Cometam,* putat. Id verò ſi eſt probabile, quid non abſurdi poſſumus iuuentuti, & vulgo perſuadere? Et ſi vera ſunt, quæ Peucerus habet, *formas illas in cœlo apparentes,* (quas ego nunquam vidi) *aquilarum, draconum, cataphractorum, exercituum à Dæmone eſſe,* à quo item

*Cap. VII.*

*Aſtrologi vaticinia incerta.*

*Auguſtinus Niphus. Vires Cometar. quanti temporis.*

item fieri credit nimbos, fulmina, tempeſtates: quis neget ab eodem diabolo, & quidem facilius, Cometas gigni? Equidem ſcio, ſenſibus noſtris maius, & horribilibus eſſe fulmen, unde frequens ruina, & mors, quàm Cometa ſit, vel per ſe lucidus, vel à Sole illuſtratus fulgore ſuaui. Quod ſi à tanto Chriſtianorum hoſte cometæ ſunt, (quis vincat non eſſe, Peucero credens?) nullæ ſunt iſtorum prædictiones, dum interim dicunt, ex fumis elatis, coactis, incenſis, cometas gigni. *Dæmon*, inquit Peucerus, *iſta gignit, ut fruſtra nos terreat atque decipiat.* Ego verò unum Deum, univerſitatis Dominum, ac Rectorem agnoſco: de permisſione iſta incerta neſcio quid affirmem. Sed quia de leuitate iſtorum ſatis, tempus eſt nunc docere, *nullo modo fieri poſſe, ut aliquid explorati de Cometarum viribus hac ſchola præſentiat.* *Tranſitio.*

Omnes Cometarii fatentur, naturam crinitarum, & cum aſtro nexum, ex crinitæ colore intelligi: quare fulgidam & illuſtrem vocant *Solarem*, nitidam *Lunarem* ac *Veneream.* Ita rutilam dicunt eſſe *à Marte*, ſubatram liuidamq; *à Saturno.* Ego arbitror, Dudithi, fieri non poſſe, ut unus tantum Cometæ ejusdem color ubique appareat. Et, ſi aſpectus Cometæ incertus eſt, ſuſpectum erit ſemper de Cometa iudicium. Nam non modo ſtellæ crinitaque ſidera; ſed Luna ipſa, Sol item, pro aeris diuerſo habitu colores varios repræſentant. In ſummo cœlo, aere ſereno, aſtra ſplendent, & argenteo quodam nitore fulgent. Si nebula vel fumus cœlum occupet, aer denſatur, & per fumum atque vapores (quos tamen haud noctu conſpicimus) aſtra videmus. Idcirco ſubatra, vel rubicunda horum facies apparet. Idque eſt cauſſæ, quare per æſtatem Lunam & Solem in horizonte rubentem aſpiciamus. Cum igitur ſit magna aeris inconſtantia, uti non unus cœli ac ventorum eſt *Cap.* IIX. *Colores in cœlo mutantia.*

*Stellarum facies varia.* modus, dico certam faciem Cometæ, hoc eſt, veros colores, deprehendi vix poſſe. Quid? Nonne varii locorum poſitus varium ſemper aerem habent? Montana purum cœlum, conualles impurum & ſordidum? *Aeris varietas* Siccus ager tenuem aerem; ſed craſſum, denſum, nebuloſum, vliginoſa faciunt & paludes. *Aer varius.* Exemplum habemus hoc anno præclarum. Fulgidus in montanis videbatur Cometa, nitor ac ſplendor planè argenteus, in coma præſertim. *Colores ultimi Cometa.* Et Cornelius Gemma vocat iſtum *lucidum, argenteum, puriſsimum, fulgentem.* Fabricius item, Cæſaris Mathematicus, eundem ſcribit *fuiſſe ex candido flaueſcentem lucidumq́, & non terrificum.* *Cælum Euangelienſe.* Et tamen vir quidam doctrina varia inſignis, quem tu noſti, hunc ſcribit *piceo colore fuiſſe, nigellum, ac tanquam per fumum viſa facis.* Cum legi hæc verba, miratus hæſi, donec aſpectus huius cauſa occurrit; nempe colorem Cometæ atrum propter aerem loci craſsiorem viſum fuiſſe. Nam in conualle, loco paluſtri, & ſemper lutulento, vbi auſter & gemini laterales venti regnant, & quò Aquilo, Boreas, Caurus, & Fauonius non pertingunt, *Aer impurus.* aer aciem fallit, ut pro nitore ſqualorem, pro ſplendore ruborem igneum, pro fulgore obſcurum liuorem oculis referat. Hujus generis cœlum ſolet non paucos decipere. Et, ſi philoſophos labi videmus, quid fiet imperitis, & ineptis ingeniis, quorum eſt maxima pars? Et, ſi feſellit multos color maximi & fulgentiſsimi Cometæ, quid erit certi in minoribus & minus lucidis? *Vitia, quibus acies læditur.* Mitto naturæ impedimenta, cerebri, oculorum. Qui firma ſunt acie atque acuta, his minus officiet aer caliginoſus. Contrà, quibus obtuſior viſus, ii fulgorem non benè percipiunt, ſed omnia ſubobſcura, & ſordida in cœlo & aere judicant. Et idem homo, iisdem oculis, non uno ſemper modo ſpecies iſtas accipere poteſt. Sunt incredibiles noſtri

ſtri corporis mutationes. Et ſanguinis ac ſpirituum habitus, æſtus & halitus, cibus item & potus non ſimplex, præſertim in his terris, faciunt, ut varius fiat rerum lucidarum & maximè diſtantium conſpectus. Cum igitur tantum ſit difficultatis in Cometæ aſpectu, atque colorum varietas in Cometa, reddet incertum de iſtius natura iudicium.

Quam ſit dubia Mathematicorum opinio, patet. Etenim fieri nequit, ut de rei viribus, & effectibus diſſeramus, natura ipſa rei minus intellecta. Eſt autem tantum in aere impedimentum, ut non color ſolum incertus reddatur, ſed ipſe etiam ſpeciei motus. Nam aeris concitatio ac tremor, ſiue à vento, ſive ſit à mobili vapore, facit ut ſtella errans prope horizontem tremat mirandum in modum. Nudius tertius dum ſederemus, & colloqueremur, hoc ego vidi, & animadverti in uno ex planetis. Micabat aſcendens ab ortu. Poſtea, cum viderem eundem per aerem puriorem, ſine ulla ſcintillatione apparuit. Hoc ipſum tu Heros vidiſti, cum ipſe de hac re non leui diſſererem. Itidem fit in Cometa. Vnde aliqui decipiuntur, credentes ad horizontem hanc ultimam crinitam vibrantem, variam, diſcolorem fuiſſe.

*Neceſſaria quæ ad prædictiones.*

Præter hæc, multum eſſe poſitum putant ad prædictiones in Cometæ forma. Quare advertant veraces, ac æqui Lectores iſtas imagines, & conferant cum extincto ultimo Cometa. Spero fore ne meam picturam alieniſſimam iudicent à ſpecie naturali.

Ex omnibus his formis mihi placet ultima Libera tamen iudicia ſint. Vnum ego ex tanta imaginum diverſitate conficiam, vel tenuiſsimam rationem vaticinandi â forma, quando ſummi Aſtrologi tam inter ſe diſcordant in re quæ oculis obvia eſt, & in Cometa pingendo tam inſigni, tam lucido.

*Obſervatio non firma.*

*Cap. IX. Somnus.*

Ad hoc accedit, neminem ferè ex mille mortalibus eſſe, qui totum Cometæ curſum obſervare poſsit. Nam, cum ſub horizonte is latet, nullus poteſt, quamuis velit, aduertere. Deinde in hoc noſtro cœlo, ſi horam unam aut alteram ſeruent, animus & oculi defatigantur, ad negotia ſua redeunt, cubitum vadunt. Interea cœlum labitur, nobisq; ſomno ſopitis, & colludentibus cum defunctis, quid in Cometa aliisq; viſis, cum cœli, tum aeris, non poteſt fieri admirandi? Jam cum initio comparet phaſma, videas magnam inter homines varietatem. De prima die contendunt multi, ex his etiam, qui hoc anno ſcripſerunt. Neque horarum diſsidium eſt, ſed quatuor, ſex, ac decem dierum. Idque non culpa fit Aſtrologorum, ſed humanæ tantum fragilitatis. Etenim eſt nemo, qui meteoris, cœlo, ac ſtellis contemplandis, dies totos ac noctes poſsit conſumere. Poſſent rem tantam per viros doctos & ſobrios curare heroes. O quantam varietatem in natura cognoſceremus! Quod ſi hoc negligatur, niſi aſſiduè obſeruemus, nihil omnino certi haberi poteſt, de primo inquam rerum ortu & aſpectu, deque viſorum in horas varietate. Credunt imperitis hominibus, vigili ebrio, amenti ruſtico, paſtori bruto, (ut Hiſpanus de ſtella Caſsiopeæ) noctuabundo ac cœco amatori. Iſti caſu in cœlum (id enim rarò faciunt) ſuſpicientes, vident Cometam, &c. Cumprimum illis in oculos incidit, tum verò exortum putant. Spargunt in vulgus; à vulgo ad Phyſicos & Aſtrologos; Mathematicus

*Error diorum in Cometa.*

*Primi Cometam videntes.*

percontatur, varios dies audit: diſcordia quanta ſit, audit. Mox tamen ſcripturit, & audet prædicere, quos neſcit, euentus; dum cauſas rei, & naturam ejusque partes, & maximè ortus diem, ignorat. Quaſi verò leve ſit in cœlo tempus generationis. Non uti terra manet immota, item cœlum ceſſat iners. Continua vertigine rapitur, multiplici motu fertur in occaſum, in ortum, pars obliquè ad cancrum, ad capricornum, & non modò in ipſorum orbium, ſed in ſiderum curſu, incredibilis mutatio eſt. Quare omnia variantur quæ à ſtellis fiunt, & ipſi etiam Cometæ, ſi filii ſunt aſtrorum, ut docent, mutato ſitu & curſu ſtellarum. Et cur momenta partus Genethliaci notant? nempe niſi punctum illud (quanquam ego iſta cum Cicerone, Gellio, Baſilio M. Pico aliisque multis nondum probo) niſi, inquam, punctum illud in partu teneas, non habes poſitum ſiderum, & ea re ignorata, quicquid à ſideribus fluit, aſſequi non potes. Non ſecus in Cometa, ſi filius hic eſt ſiderum, & ab iſtis certo uno habitu labentibus Cometa vires habeat, cum nos fugiat primus ille aſtrorum ſtatus, nec ſolum in horæ punctis, verum in diebus peccetur, quæ methodus, quæ via reliqua eſt naturam Cometæ ex cognatione cum aſtro noſcendi? Et hoc non ritè perſpecto, quid volunt viri alioqui docti, pro certis incerta, pro apertis obſcura, & ignorata pro exploratis habere? Quid igitur iis credendum, qui in ſuis iudiciis & obſervationibus quotidianis, neque de primo ortu, vel duratione Cometæ conſentiunt, cum potius hebdamodum inter iſtos diſſidium ſit. Et ſi falluntur in iis quæ accipimus oculis, quantum erit in animi coniecturis? Cornelio Gemmæ primum apparuit Cometa die 14. Nouembris, durauit ad 18. Januarii. diebus nempe ſexaginta quatuor; Prætorio 8. Nouembris viſus durat diebus ſexaginta

*Scribendi cupido nimia.*

*Terræ quies, Cœli motus.*

*Genethliaci Scriptores contra Chaldaeos.*

ginta duobus; Cunrado 8. die Nouembris apparuit: diuturnitatis oblitus eſt, tantum ait duraſſe usque ad Januarium. durauit Cometa illi noſtro amico diebus quinquaginta ſex. Venetis viſum extitit menſe Nouembris, duratio uſque ad ſeptuageſimum diem. dicit 12. die Nouembris viſum, extinctum verò phaſma 28. Decembris; durauit igitur ipſi diebus quadraginta ſex. Fabricio apparuit 10. die Nouembris, durauit ad ſedecimam Decembris, curſus totus dierum 42. Scripſerunt de Cometa Germanicè Valentinus Nohhius, R. P. Philomatheſius, & Samuel Mullerus. Primus ait, duraſſe Cometæ incendium dies 27. Secundus 60. tertius 90. quartus autem 67. Quintus Georgius 15. tantum dies obſeruat. Nimis magna, nimis grauis varietas ab 8. die ad 9. ad 10. à 12. ad 14. & quantum intereſt inter numerum 46. dierum & 56. inter numerum 42. & 64. vel 70. dierum? Et illud eſt reprehenſione dignisſimum, fuiſſe non multos ex iis viris qui ante Cometæ exitum ſcripſerunt, & ſcripta divulgarunt. Ea eſt gloriæ atque honoris libido, & ſcripturiendi anceps cupiditas.

Mitto, dum ſplenderet Cometa, non ſemel, per 10. dies nubilum aerem fuiſſe. Quis tunc potuit monſtrum videre? Quid ue tam longo ſpatio factum ſit in cœlo, quis noſtrum nouit? Quare meritò dubitamus, ne, cum putant eſſe ortum Cometam, non tum naſcatur, ſed noſtris oculis occurrat, in ipſa ſerenitate ſe cœlo aperiente. Ego quidem puto, uti Cometa paulatim decreſcit (videmus autem hoc, quia ſemper aduertimus) & ita ſenſim conſumitur, ita quoque gradatim eius lucem exiſtere, atque intendi, ut antequam lumen aduertant, per multos dies Cometa non viſus extet. Id autem ſi fiat (vt probabile eſt) quanta eſt illorum authoritas, qui non ortum Cometæ primum, ſed jam adulti vigorem expendunt.

*Impedimentum obſeruandi Cometam.*

*Cometæ creatio, ortus, emerſus.*

Etri-

Et ridiculum eſt, quod iſtic accidit in ipſo obſeruationis fundamento. Eſto: innoteſcat ſine ulla dubitatione prima dies, prima hora, primum quoque momentum apparentis Cometæ. Dico id nihil eſſe, ſatis non eſſe, puerile eſſe. Nam non apparentis viſi articulos tenere, ſed ortum, & creationem, decet (ſi tamen hîc ſit prodigium) ad veram vel ſaltem probabilem prædictionem. Non interdiu neque occidente Sole, ſed hora noctis prima, emergentibus aſtris, Cometa comparet. Et cum primum videtur id, quod, ut dixi, ſemper fortuito fit, tum primum naſci & inchoari exiſtimant. Næ fallimur miſelli homines. Emerſus eſt ille, non generatio. Nam ſtellæ, quæ noctu fulgent, abſente Sole conſpicuæ ſunt, quæ lumina minora tum ſplendent, cum non officit Solis fulgor. Ita in Cometa (ni me fallit opinio) fit. Etiam interdiu eſt; & vertitur cum ipſo cœlo. Sed noctu cum ſtellis apparet, cum Sole procul currente lumina hebetiora conſpici poſſunt. Omnia verò, cum ſunt, non cum nobis cæcis occurrunt, naturam ſuam habent: præſente verò ac perfecta natura, efficacia viget. Quæ cum ita eſſe conſtet, colligimus, minimè ſolidam eſſe Cometarum obſeruationem. Labante autem huius rei fundamento, leue eſſe de ipſa re dubia, res certas vel timere, vel timendas proponere. Atque hactenus de prima velitatione.

*Stellarum lumina.*

*Tranſitio.*

## PARS SECVNDA.

NVnc ad contentionem graviorem. Neque enim cum Aſtrologo tantum aut Oratore, ſed cum Philoſopho omnium ætatum principe, Ariſtotele, diſputandum eſt. Etenim quia iſti ſummo Magiſtro credunt ferè omnes, Cometam ex fumis gigni (Gemma tamen & Prætorius de ultimo id negant) videndum quanta ſit Scholæ Peripateticæ

*Cap. I.*

teticæ in hoc genere veritas. Non enim piaculum eſt inter literarum amantes, opinioni hominum fidem non habere: cum animi noſtri ratio propria ſit, non incerta opinio. Neque ſit vllus mortalium, qui aliquando, imò ſæpè, non erret. Magnum ego ſapientem, & Philoſophorum omnium ducem, Ariſtotelem voco, neque Platonem illi tibi aſſentiens antepono. Tamen hunc ipſum nihil ignoraſſe, omnia nouiſſe, nihil contra eum afferri poſſe, id verò nunquam cenſuerim. Quare audi, quæ in tanta quæſtione dicenda videntur. Nam ſi hoc unum tibi ac tui ſimilibus probem (obſtinatos & antiquitati deuotos omittam) non eſſe Cometam elementarem: hoc eſt, non ex fumis, vt aiunt, cogi, perit omnis Aſtrologorum doctrina & gloria.

*Scientia amor verus.*
*Ariſtotelis laudes.*
*Ariſt. non Deus.*

*Calidam ſiccamq; exhalationem, hoc eſt, fumum à Sole maximè in ſublime raptum, & in igneo elemento à cœlo raptatum, denſatum accenſumq;*, dicit eſſe Cometam Ariſtoteles. Ad quæ poſteriores Aſtrologi atque Phyſici multa adiungunt, *eſſe hunc fumum, inſtar montis molem immanem, craſſam, pinguem, tenacem:* nonnulli adjiciunt *piceam quandam vim*, & Daſypodius in ſuo ſcripto de ultimo Cometa mirificam habet opinionem. Scribit *concipi à terra fumum, Saturno meatus terræ aſtringente. Subinde verò Marte hos meatus aperiente, parere terram hos fumos, qui in ſublime aſcendunt, qui rurſus à Saturno denſantur ſub æthere, & ab ignea Martis vi accenduntur.*

*Ariſt. definitio Cometæ.*
*Aſtrologorum Cometa.*
*Daſypodii Cometa.*
*Saturni vis ad Cometam.*
*Martis vis in Cometa.*

Magna fuit hujus viri cogitatio, & egregium ſanè inventum. Nos tamen ad Ariſtotelem, cuius opinionem ferè omnes cum Aſtrologi, tum Phyſici, tum Theologi amplexi ſunt. In hoc tamen Aſtrologi à Phyſicis diſtant, quod ii putant cum Ariſtotele, *poſt Cometam*, (præſertim ſi plures fiant) *ſiccitates ac ventos vigere*: Aſtrologi verò, cum Ptolemæo, Algazel, Hali, Albumazar, non tantum *ariditatem ac ventos*, ſed *famem, peſtem, bella, hæreſes, principum interitus*

*Aſtrologi & Theologi diſcrimen.*
*Effectus Cometæ ex Ariſt.*

*tus fieri à Cometa* docent. Atque *tantorum malorum cauſas* dicunt Aſtrologi *eſſe duas*, *propriam ſtellarum vim hominibus maximè inimicam*, & *ſiccitatem aeris, ex qua humores acres, ac feruidos nosq; uſtulantes colligamus.* Atque inde diſcordias, bella, & cædes oriri volunt: fontem enim omnium calamitatum fumum exiſtimant: ex quo ſint venti, à quibus areſcat mundus, & homines uſtulati (ſic loquitur Peucerus) in furorem agantur. Verùm, dices, *Ariſtotelem tum ventos fieri docere, cum plures Cometæ ſimul ſiunt.* Reſpondeo, Aſtrologos, quos oppugno, ab omni Cometa omnia ferè mala timere; præterquam quod conuincitur, ut videbimus infrà, Philoſophus ab huius anni conſtitutione. Cum neque venti, neque ſiccitas vigeat poſt maximum Cometam, qui pro duobus aut tribus haberi poteſt. Sed ad præcipuam diſputationem. Quatuor enim diſquirenda ſunt. *Num fumus materia ſit Cometæ. Num cogatur ad ejus generationem. Num accendatur in ſummo cælo tractus.* Demum, *numquid ventorum ac ſiccitatum ſit Cometa efficiens?*

*Fumus poſt Cometam.*

*Ariſtoteles de multis Cometis.*

*Quæſtiones quatuor contra Ariſtotelem.*

*Cap. II.*

*Halitus duplex.*

Duplex halituum genus è terra & aquis efferri minimè negarim; vaporem calidum, humidum; & exhalationem calidam, ſiccam. Sed quemadmodum fumus cogatur ſub æthere, ſiſtatur, denſetur, ſimillimusque ſui tam diu flagret, nullo tremore, nullo flammis proprio motu, nondum intelligo. Halitus quidem aſcendit ſuapte ſponte, hoc eſt, calore proprio ferente ac leuitate; cum, inquam, impreſſa per Solem & Lunam caliditate vapor ſurſum petit, ſiue aqueus ſit, ſiue igneus. Et certum eſt, eo usque ſcandere iſta, quousque acquiſita caliditas manet. Manet autem tamdiu, donec ab aeris vel gelu, vel ardore calor iſte levis non ſuperatur. Porrò autem, Dudithi, facilè iſte calor perit; cum quia moles aeris vel frigidioris, vel calidioris longè maxima eſt; tum quia quò magis vapor aſcendit, eò magis attenua-

*Vaporis natura & vis.*

tenuatur, donec in tenuem aerem, ambientem, & oppugnantem abeat.

Sed eſto, ſuperet fumus (de hoc enim eſt agendum) medium aeris gradum, tranſcendat gelidas nubes, & ſummam aeris partem petat: Scire cupio; cum in aere circumrapto fuerit, quò pacto denſeſcat. Nam ſiue ſit aer ille frigidus, ſiue calens, tenuiſsimus tamen eſt, & à tenui corpore nulla vis denſandi: præſertim, ſi corpus hoc tenue irrequieto motu feratur ac diſsipetur. Si frigore cogi fumum dicant, primum Ariſtoteles, & cum eo Aſtrologi oppugnantur, qui ab ignis calore, ſub ipſo æthere, & inprimis à cœli motu rapaci putant fumum incendi.

*Fumi coitus & denſatio.*
*Summus aer qualis.*
*Dilemma.*

Deinde, ſi cogeretur fumus à frigore, huc illuc pelleretur, ut in aere infimo, ac medio fulmen ac fulgur fugantur, & in varias urgentur partes, pugnantibus acriter viciſsim calore ac frigore, humore ac ſiccitate, halituum, fumi, aeris, nubium, & pluuiæ præcipitantis. Redeo ad illud: vel eſt rigor, vel ardor, ubi eſt Cometa, ubi inflammatur. A rigore nullum incendium; & ab inflammante calore, accenſi corporis agitatio fit, maximè in materia tenui. Neq; confidant ἀντιπεριστάσει. Nam calefacit ea frigus, quæ vel vinci à frigore non poſſunt, arceantur tamen & fugantur, (ut in fulgure dixi) vel refugium ad locum aliquem defendentem habent. Hinc in antris à frigore calefit aer, quia gelu aeris hyberni calorem æſtiuum fugientem in terræ ſinus arcet, non tamen vincit cauernis ipſis hoc prohibentibus. Verum in aere ſummo, vel ſub ipſo æthere, ut illi dicunt, neque ullum eſt frigus (vt docent) neque receptus fumum tuentes. Quare accidit, vt à maxima illius vel aeris, vel ignis vi fumus diſsipatus perdatur. Sed video, quò confugiant. Contendunt *ibi eſſe ignem; & à cœli vertigine cogi, & accendi fumum* ſcribunt. Sed amico illi noſtro ignis ille, non verè ignis & actu eſt, ſed potentia. Erit ergo ignis elementaris neque calidus neque ſic-

*Conflictus in aere maximus.*
*Dilemma.*
*Antiperiſtaſis.*
*Frigoris calefactio.*
*Terræ internus calor.*

 cus

*Cœli motus.* *Motus quid calefaciat.* *Corporum genus duplex.*

cus, & comburens tamen. Præterea dico, cœli vertiginem nullo modo tenuem fumum cogere poſſe, neque coactum accendere. Quid enim illud eſt, ab omnibus, & in præcipuis Europæ ſcholis, decantatum, *Motus per ſe calefacit?* Axioma iſtud concederem, ſi unum tantum eſſet corporum genus. Verum eſt corpus geminum: denſum idemque graue & concretum; eſt item alterum, tenue, rarum, leue, fluens, liquidum; qualia ſunt aer, aqua, vapor, fumus, & omnis liquor. Negare non poſſum, calefieri motu compacta corpora & dura. Sed liquida tenuiaque tantum abeſt, ut frigida caleſcant motu; potius calidiſsima cum ſunt, frigeſcunt. Aer æſtuans, aqua feruens, liquores cuncti calidi & adurentes, cum agitantur, calore ſtatim amiſſo refrigeſcunt.

*Flabelli uſus.* *Corporis tenuis raptatio.*

Flabelli uſus Ariſtoteles redarguit; & quo maior concitatio, eò celerior & maior frigiditas fit. Cœli curſu nullus eſt motus celerior. Liquida verò & aerea per motum attenuantur, & frigeſcunt, & in attenuatione diſsipatio eſt: in qua diſsipatione frigus inducitur, non ulla caloris occaſio.

*Cap. III.* *Creatio rerum.* *Mons Cometa.* *Cœlum fumos colligens.* *Fumus denſatus.*

Ad hæc, rerum eſt naturalium non repentina, ſed gradatim facta creatio. Volunt *Cometam eſſe quaſi montem ex fumis ardentibus, dum in ſublimi aere vel igne* (quem nullum eſſe forſitan alias probabo) *fumus ad fumum accedit.* Ego verò non intelligo, qua vi colligatur in unum locum tanta vis fumi. Et niſi cogatur, non poterit, ipſis etiam concedentibus, inflammari. Cœlum non contrahit, (quis enim hoc docet, aut vincit, ſiue de æthere, ſive de ſtellis?) & ſi fumus non aſcendit, denſatur, & in aere ſuſpenſus hæret, nebulæ expanſæ inſtar: neque eſt procul à terra, uti in vallibus videre eſt, ſupra pagos, & oppida, præſertim in hieme. Si verò non denſatur, & ſuperiora aeris petit, in tenuem aerem euaneſcit. Dicunt *ſpiſſari fumos à Saturno.* cum quibus ego non diſputo. Video enim iſtos non argumentis, verum opinionibus meris uti. Et, ſi cogantur fumi & inflammentur, ut volunt, à cœ-

à cœlo ; cur non ſtatim ardent ? cur non apparet flamma aliqua ante Cometam ? Cur aliqua pars tanti montis non flagrat, cum neq; agentes cauſſæ, neq; materia, neq; locus, neq; tempus ad incendium deſit? Et, ſi fumi non ardent, dum paulatim denſantur ; non fumus ad fumũ accedet, quia non trahetur. Raperentur enim fumi ad fumos incenſos. Sed fumus poſtquam è terra vel incendio erupit, frigidus eſt. Quod ſi ardent fumi, nec tantum propter exiguitatem id apparet, cur non abſumuntur ? Quod ſi concedant conſumi, unde Cometæ materia ? certè res inflammatæ decreſcunt & conſumuntur. Quod ſi, vel non ſuccedunt fumi continenter, vel cremantur, imò ſi nec cœlum, ut probant, nec ſidera congregant, nec denſat motus, neque halitum accendit ; unde iſte Cometa nobis generatur ? Vnde tantus ardor in loco puriſsimo, ab hoc aere caliginoſo remotiſsimo, & ubi ad calorem nullus radiorum conflictus ? Neq; poſſum ullo modo percipere cauſam veram tam fixæ, ac tam diuturnæ quietis hujus fumi. Quo vinculo ? quo fræno ? quo unco in uno eodem loco manet fumus ad 6, 8, 10, menſes, donec fumeus mons coeat, & inflammetur ? Et poſtquam incipit ardere, quæ cauſa quietis eſt ? Quamuis enim feratur Cometa cum cœlo, motu tamen ſuo, & vago & incerto, qui proprius eſt flagrantis fumi, non agitatur : cum tamen cernamus globos igneos de cœlo ruentes, (vidi ſemel Piſis unum) fulgura, fulmina, traiectiones quotidianas, & cœli flammas, quibus tertio abhinc anno cœlum arſit, pelli & fugari fortuito quodam pulſu huc illuc, vel præcipitare, vel tremere, atq; vibrari : quæ vibratio in accenſa omni materia & loco uno hærente ſemper conſpicitur. At enim *longinquitas facit ut hic tremor non ſit conſpicuus*. ſed moles tanti montis diſtantiæ impedimentum ſuperare debet. Et ſi hoc Ariſtoteli dem, cur ſaltem non forma eſt propria flammarum ? Quæ ſimilitudo eſt inter pyramidalem ignis formam, & Cometarum ? ſtant

*Saturnus fumi coagulum.*

*Fumus qui rapiatur.*

*Fumus frigidus.*


*Cometæ materia.*

*Cometæ fixa quies.*

*Ardentis rei motus.*

*Occupatio.*

*Forma rerũ ardentium & cometæ.* erectæ flammæ omnes, ſi fomes uno tantum hæreat loco. Cometæ verò ferè omnes iacent. Et, quam ille noſter deſcribit inſtar facis ardentem, & ſtantem, cometam ego non *Occupatio* dixerim, ſed aliud viſi genus, uti multa fieri videmus in aere, quorum naturis ignoratis, homines tamen arbitratu ſuo, & ſæpe ineptè, nomina imponunt. Cum cœlum anno ab*Caliardor* hinc tertio arſit, flammæ illæ conſpicuæ fuerunt. Erumpebant, & magno impetu vibratæ ad æthera aſcendebant. cometæ nihil huiuſmodi, & qui hoc anno eſt viſus, talis fuit, qualem hic pictura oſtendit.




Erat in crinitæ capite ſtella, vel erat potius caput una è ſtellis, aureo quodam & grato fulgore. Quæ ſtella, ut videbatur, quartæ magnitudinis fuit, minime ipſa quidem ſcin-

tillans, ſed uno, & æquabili tenore fulgens. Manabat à ſtella in ortum argenteus ex auro nitor,& quaſi continuatus radiorum effluxus, qui prolixam leniterque in Auſtrum inflexam comam formabat, in Eurum fuſam, ad baſim ſatis patentem. Neque verò à ſtella radius emicabat ullus in occaſum, aut ad polos. Neq; radiatio comæ ex ipſo ſtellæ orbe ducebatur, ut eſſent crines tanquam è ſtellæ ſubſtantia riuus. Nam integra ex omni parte ſtella erat, atque à coma in auerſa ſoli parte attingebatur; tamē diſtinctio utriusq; aperta erat cum ſtellæ, tum crinium extremitatis. Lunæ à congreſſu nouam ſpeciem ſic mecum aduertebam, conferens cum ipſo cometa propè lucente: in qua pars illuſtrata partem opacam, ut ſemper fit, quæ ortum reſpicit, videbatur utroque cornu complecti. Neque ipſa coma erat ſtellæ concolor. Aureus [illegible]m capitis fulgor, comæ verò argenteus, ut dixi, nitor po[illegible]iàm ſplendor. Qui nitor tamen à capite ſenſim dilutio[illegible]cebat, in baſi demum hebetatus, & deſinens. Nihil enorme, vel in ſtella, vel in crine fuit: nulla macula, nulla vmbra, nihil (quantum viſum eſt mihi) retorridi, nihil fumidi viſum eſt. Quæ cum ita fuerint, videtur cometam iſtum non fumeum fuiſſe, aut inflammatum; ſed ſtellam, aut aliud tale à Sole illuminatum, quod à ſole obiecto acceptam lucem in ortum poſt ſe regerebat: unde comæ latè fuſæ ſpecies fuit. In baſi crinitæ angulus Aquilonis Auſtrino erat oblongior: qui formabat acutum apicem, uti pars meridionalis angulum obtuſum. Eratq; pars comæ ad Aquilonem Auſtrali paulo nitidior. Quod ſi hæc omnia à fumi natura ſunt aliena; ſupereſt ut dicamus, Cometam æthereum quippiam eſſe, non autem elementarem. Ad Solem reſpexit ſemper: ab eo tanquam Luna lumen excipiebat. Et cum lineam aſpectu ipſo à ſole ad cometam ducerem, videbam rectà ad apices uſque ipſos ſolis radium aptiſſimè pertinere. Sed

in

in imagine omnia faciliora. In qua ſi placet, obſeruabis, Dudithi, non ad meridiem, ut aliqui ſcribunt, crinem fluxiſſe, verum primum in ſubſolanum, poſtea, cum aſcenderet cometa, in Cæciam & Boream porrectum fuiſſe. Cujus rei hæc nimirum cauſa fuit, quòd minori celeritate Sol à capricorno redibat, quam crinita, quæ ad nos, & cœli verticem properauit. Atque poſſumus ex iis colligere cometam eſſe nullo pacto ex fumis aut igneum corpus: pergamus cum Ariſtotele diſputare.

*Cap.* IV. Motus cometæ obliquus à tropico ad tropicum fumi ardentis curſus non eſt, ſed planetarum. quod ſi cometa fumeus eſt (ut Aſtrologos cum Ariſtotele perturbẽ) atq; filius, ut dicunt, certæ ſtellæ, ſcire velim, quî fiat, ut in partes diuerſas currente ſtella, cometa in alium feratur locum? ſiccine filius patrem colit, aut filium pater cuſtodit, ut alter alterum deſerat? Iam, cum procul abſunt, unde vires conſtabunt in cometa à ſuo ſydere manantes? Et viribus non continenter ſuffectis, qualia ſunt prognoſtica? Nam ſi locus in cœlo mutetur, mutantur mox in cometa vires, novis ſubinde ſtellis in cœli curſu imminentibus cometæ. Quod ſi tanta fumorum eſt moles Cometa, quid eſt cauſæ, quamobrem in tanto incendio non calorem ſentimus? cur item non aliquam caliditatem excellentem percipimus menſibus iis, quibus gignitur, & coit crinitæ materia, qui fumus eſt contra uſum naturæ, nimius, & craſſus, & pinguis? Non eſt profectò tanta vis fumi, niſi à calore, tum ſolis elicientis, tum terræ emittentis, tum aeris excipientis. Niſi fortaſſe velint fumos è terra tantos, dum fiunt & excitantur, gelidos eſſe: quod ipſum cogitare viros doctos & prudentes, minimè credo. Anno cometam ultimum præcedente nullus nimius æſtus, nulla, inquam, ariditas. Imò frugum ubertas & fructuum docet, modicam fuiſſe atque ſalubrem cœli con-

*Obliquus Cometæ motus.*

*Cometæ filii à ſtella digreſſus.*

*Fumi generatio.*

*Quæ ante Cometam ultimum.*

conſtitutionem. Neq; venti ulli præceſſerunt, cum tamen exhalatione vigente, flatus validi excitentur. Nec vidimus terræ tremores, unde ante cometam halitus multi & fumi potuerint in altum euomi. Nihil, inquam, horum eſt factum. Vnde igitur ſemina Cometæ?

Sed iam ultimum videamus. Dicit Ariſtoteles, & credunt valde multi, *ventos & ſiccitates à Cometa gigni.* Et quanquam dicat Magiſter, *ſi plures appareant*; tamen maximus unus Cometa pro multis exiguis haberi debet. Præterea nulla hiſtoria, quod ſciam, extat, in qua ſimul plures crinitas apparuiſſe legatur: Cum tamen Aſtrologi omnes Ariſtotelem ſecuti, vel à minimo Cometa, & eo paucorum dierum, propter ventorum turbas & ariditates, multa mala fieri ſcribant. Hic nolo ad euentus confugere. argumenta ſunt adferenda, ipſomet Ariſtotele Doctore. Concedo, veritatis inquirendæ cauſſa, hæc omnia, quæ iam negaui, *fumos adſcendere in cælum: eosdem ibi cogi & incendi.* Neq; nego *hærere uno loco fumum, & igneum eſſe* (ut volunt) *montem Cometam.* Tamen dicant, quemadmodum venti & ſiccitas à Cometa fiant. Dubium non eſt, incenſa corpora dum ardent, abſumi à vorace & omnium confectore igni. Ergo materia omnis Cometarum perit; & pabulo ignis conſumpto, unde nobis venti? Vnde ex vento ariditas? Nam ventus ex fumis eſt, ut aiunt; (id enim haud unquam benè intellexi.) Fumus autem conſumitur, ſi inflammetur. Flamma enim eſt fumus ardens, & fumus extincta flamma. Imò ſi flagret, ut putant, Cometa, non tamen huius phaſmatis fumi, ſed proximi quoque & longinqui vorantur. Cum inquam ad Cometæ incendium, tanquam ad fornacem, omnes rapiantur fumi. Neque dubium eſt, quò maior eſt vis incendii, eò faciliorem eſſe ac certiorem raptum vicini halitus, & vaporis, & fumi. Quicquid au-

*Plures Ariſtotel. Cometæ.*

*Diſputatio grauis conceſſiones.*

*Ignis vorax.*

*Fumus quid*

*Flamma quid*

*Flammarum attractio.*

 tem

tem in incendio eſt, idoneum ignis pabulum omnino deflagrat. Porrò conſumpta venti materia, unde ventus & ſiccitas?

*Conceſſio.* Sed eſto: plura etiam concedo: Remaneat pars fumi, extincto Cometa. Scire velim à tanto ſapiente, qua ratione, quavi, ex fumo, qui ſub æthere manet, (ibi enim Cometæ ardor) venti apud nos fiant. Quid fumos de cœlo & ſummo igne deorſum pellit? Num calor ignis? At hic vel nullus ibi eſt, ut puto; vel, ſi fuerit, ad ſe rapiet vehementer, cum fumus ille ſit aptiſſima ignis eſca. Certè ad fornacem non vapor tantùm, verum etiam ipſe aer frigidus magno impetu fertur, ut, vel flammas ab oſtio fornacis impellat, quod ego ſæpe admirans obſeruaui. Num cœlum fumos depellit? Profectò ſi hoc dicant, id erit, vel quia cœlum æthereum eſt, vel quia lucidũ, vel quia circumlatum. Quid cum fumo cœli ſubſtantiæ? Lux autem & radius nec trahit, nec pellit. Motus autem potius rapiet & retinebit, quàm poſſit detrudere. Et placet omnibus iſtis, ut cœli vertigo fumum calefaciat & inflammet: id quod omnino fumi deſcenſum impediet. Num ſtellas dicent hoc facere? Sed in his, ut de cœlo dixi, nulla virtus ad fumum depellendum, ſed contrà potius tollendum; quanquam & iſtud ex accidenti. Nam ſtellæ ſuapte natura illuminant; reliqua aliunde ſequuntur. Calor enim in aere, concurſu & conflictu radiorum fit. Concurſus ex repercuſſu. Hoc autem ex cauitatibus terræ. Aere iam calefacto, terra & aqua incaleſcunt: inde vapor emergit calidus, qui ſua ſponte, tollente leuitate ac tenuitate, aſcendit. Quid igitur? ipſemet fumus, qui ſub æthere hæret, ultrò delabetur? Si fumus reuera ille ſit, nec verbo fumus, natura verò lapis aut grando, nunquam ad nos deuoluetur. Leuis enim omnis halitus & vapor, & hinc à nobis aſcendit. Minimè igitur

*Nova quæſtio in Ariſtotelem. Deſcenſus fumi ad ventum edendum. Contentio acrior.*

ſubla

ſublatus deſcendit, præſertim iis de cauſis, quia in calidiſſimo eſt, ut volunt, loco, & propè cœli motum, ut aiunt, calefacientem, & poſt incendium excellens; unde fumi *Occupatio.* maior erit, quàm prius fuerit, cum calor, tum leuitas. Dicent, (hîc hærebunt) *poſt Cometam fumos gigni.* Credam, *Senſus inter argumenta.* ſi cauſas addiderint. Nam à Cometa præſente nullus calor. Equidem rigebam hoc anno, cum obſeruarem: & frigus hyemis magnum fuit, & longum. Minimè verò ab extincto Cometa calor eſt: & ſine calore non ſunt venti, quia ventorum fumus (vt Ariſtoteles docet) materia. Niſi velint, quod ſanè alienum eſt, ab ipſo Cometa vel extincto vel *Occupatio* ardente, quamuis omnibus fumis conſumtis, ſtellas, cælum, ſolem, vim nanciſci nouam ad exhalationes gignendas ac ventos. Nolo ad hæc reſpondere. Quare ad reliqua. Nam cinis Cometariorum quorundam, nullus eſt. Fumus *Cometarũ cinis.* enim quamuis craſſiſſimus, non eſt inſtar ligni denſus & compactus. Minus autem inſtar lapidis aut metalli, ex quibus generibus poſt ardorem eſt cinis. Si verò accederet ita magna denſitas ad fumum, grauitas quoque adeſſet, & ante æſtum ac ventorum turbas rueret ad nos, vt globi compacti & inflammati deſcendunt. Et, ſi videmus, neq; *Fomites & ignis nutrimenta ſine cinere.* ex cera, neq; ex pice, neq; ex reſina cinerem ſupereſſe: quis credat ex fumo, poſt ardorem cineres relinqui? Sed eſto: Sit cinis. Vel eſt verus, vel fictus cinis. Si verus, atq; deſcendit, cur non illum videmus? Cinis enim fumi craſſior *Conceſſio.* eſſe debet quàm ſit fumus, & fumum ipſum videmus. Et, ſi tenuior ſit, neque oculis noſtris obuius, ſequetur neceſſario, eſſe hunc eundem fumo leuiorem. Nam data corporis maiori tenuitate ac raritate, ſtatim leuitas accedit maior. Leue autem fumeum nunquam deſcendet: quare ſurſum feretur iterum, vel non deſcendet ad ventos edendos. Dicant adhæc, ſi Cometa ex fumis conſtat; & extincto Cometa vno, remanent adhuc ibi fumi, vel halituum cre-

maiorum vis: cur vno Cometa extincto & parte illa adhuc æſtus plena, non comparet nouus Cometa? Certum hoc eſt in rebus naturalibus, cauſſæ ſi adſunt, & valentes, effectus etiam ipſos adeſſe. *Cometa fit à fumorum vi*, aiunt; *Fumi à ſiccitate:* & contra, *ardens autem Cometa ſiccat, incendit, fumos edit, & ventos.* Cur ex his omnibus cauſſis Cometa non eſt, poſt ardorem prioris Cometæ? Certè velimus nolimus, fatendum nobis eſt (niſi pertinaciſſimè contra verum ſtemus) neq; Cometam ex fumis eſſe, neq; flagrare, neq; ab illo ſiccitatem aut flatus gigni. Præterea, ſi ullo tempore ex fumis fieri poſſit Cometa, cur poſt cœli ardorem, de quo inferius, non eſt factus, eodem ipſo menſe, vel ſaltem anno? Omnia erant parata, nihil deerat; cœlum ſemper idem, cœli conuerſio eadem; ſub æthere ignis, ut putant, adurens; omnia tibi tunc flammarum plena: quî non extitit Cometa? Sed quando nullus fuit in tanta fumorum & flammarum vi; neq; ex fumis Cometa erit, neque à Cometa fumus, aut ventus, aut ſiccitas.

*Cap. V. In Eraſtum.* Atq; hoc loco Eraſtum, ſummum Philoſophum, & Medicum ſingularem, præterire non poſſum. Video, & ſanè doleo me eum non eſſe, qui cum tanto Hercule congredi poſſim, Non dubito tamen, te maximè, Patrone, virum laudante, fore illi meam hanc diſputatiunculam non ingratam. Legi, ut ſcis, huius Magiſtri ſcriptum. Quantopere tibi ſim gratulatus de iſtius iudicio tecum ſentientis, vidiſti. Sed illud me mouebat, quod Peripatetici opinionem de ventis probans habet, *non modò à cælo, ſed ab inſito terræ calore ventos & fumos gigni.* Imò longè grauior eſt eius

*Eraſti verba.* oratio. Nam inquit: *Halitus à terræ calore potius, quam à ſtellis eſt, qui calor in terræ viſceribus omnia mutat, coquit, perficit, vt animaliũ calor.* Hæc ille. Ad quæ ipſe iſta opponam: Nullum ferè hominem ignorare, minimum quippiam eſſe terrenum globum, ſi cum cœli magnitudine conferatur.

Quo

Quò ſit, vt nulla ſit ſtellarum vel minima, quæ terram ſubiectam radio & vi ſua non poſſit afficere. Quanta igitur eſt Lunæ virtus? quanta unius tantum Solis? quanta ab omnibus vnà ſtellis? Et, ſi ab ipſo Sole terra non tepeſcit modò, ſed aliquando incenditur, vel ſaltem feruet, ut ego in patria vix nudis pedibus tangere potuerim, nonne ſatis hoc unum aſtrum erit ad halitus terræ eliciendos? Videmus recedente à Cancro Sole adeſſe hyemem, dureſcere terram; iacere niues, omnia glacie incruſtari, flumina, lacus, torrentes omnes conglaciare, ſpiramenta plantarum & animantium aſtringi. Contrà ad æſtatem, Sole ad nos redeunte, omnia molliri, aperiri, laxari, peruia reddi. & non à Sole uno, vel ab ipſo maximè, calorem eſſe omnem terræ dicemus? Ait Eraſtus: *Non modò terræ proprium calorem eſſe, ſed magis ab iſto, quàm à ſtellis, halitus excitari.* Neque tamen in libello ſuo hoc docet: nullam enim reddit rationem. Et ea doctrina, quam Cicero, vir divinus, ludens probat, non ſatisfacit. Loquor de calore, quem dicit *eſſe in omnibus vniuerſi partibus, vt ab ipſo ſit quaſi ſpiritus & anima mundi.* Cum igitur de hoc ipſo calore nihil probet Eraſtus, quæro, ſi ſit proprius, vt ait, & natiuus calor, vbinam ſit? Si ubique; cur non percipitur? cur non in ſumma terræ parte? Ibi enim eſt prima perpetuaque coquendi neceſsitas, alendi, perficiendi radices, fruges ac fructus. Sed in terræ facie per hyemem nullus calor, in æſtate verò calor omnis à Sole. Dicet, *in antris, in venis, ac viſceribus terræ calorem hunc eſſe.* Sint autem (vt ait) iſtæ venæ ac viſcera, quæ nihil aliud ſunt niſi meatus, & ſpacia fortuita ſaxorum: dico, hunc terræ calorem fruſtra ibi poni: neque talem eſſe, qualem putat Eraſtus, per quem natura coquat, & abſoluat. Nam ibi nec plantæ, nec animantes, præcipuè nobiles. Deinde ſenſus id negat. Nam in æſtate ſpeluncæ, venæ, terræ viſcera valde frigent. Neque

*Cœli magnitudo.*
*Terræ parvitas.*
*Stellarum vires.*
*Solis vis ad calorem.*
*Solis receſſus.*
*Solis ad nos reditus.*
*Occupatio.*
*2. de Nat. Deorum.*
*Caloris ubi uſus.*
*Terræ frigus.*
*Occupatio.*
*Non vitalis terræ calor.*

quod inſitum eſt, non ſemper & ubique eſt. Calent enim ſemper animantes, maximè nobiliores, cum quibus terram confert Eraſtus. Et Philoſophi omnes fatentur, calefieri terræ viſcera ex accidenti, dum rigens hybernus aer calorem æſtiuum apud nos vigentem deprimit, & arcet in terrenos receſſus. Quòd ſi à Sole terra calefit, vt videmus, & à frigore cauernæ tepeſcant, idq; ex accidenti; qualis erit iſte natiuus calor, cum in terra, tam in ſuperficie, quam in aluo, (abutar vocabulo) modò calor ſit, modò frigus? Et qualis iſta inſita vis in præcordiis terræ, ſi calor hybernus, qui proprius videtur & inſitus, neque conſtans, neque aptus ad vitam eſt? Etenim vbi eſt vmbra, quóve Solis non pertinet radius, ibi terra triſtis eſt: & quæ proueniunt herbæ ac ſtirpes (quanquam in antris nullæ) ſunt ſteriles & infelices? At *metalla*, dicet, *ab hoc inſito calore coqui.* Coquerentur, ſi calefierent. Sed vel non calefiunt, & frigore potius denſantur; vel ad breue tempus hoc fit: ergo non ſemper. Quod ſi à calore conficitur metallum, hic omnis calor à Sole, non à terra eſt. Scio Eraſtum non dubitare eſſe perennem, & ratam in terra viciſsitudinem caloris & frigoris, in viſceribus, inquam, quæ viſcera per æſtatem frigida, per hyemem calida ſunt. Metallorum foſſores, & ſatis hoc nobis probant. Cum, ubi ſal, ac metalla effodiuntur, æſtate nullus calor ſit, metallum tamen ibi habeatur. Neque incendia montana, vel thermæ, philoſopho patrocinantur. Non eſt in uno tantum pilo inſitus animalis calor. Milleſima terræ pars, non calefit incendiis montanis, minus ab aquæ tepore. Et ſi tota terra calefieret ab his æſtibus, non ea re calor iſte foret, ut animalis calor, coquens atque perficiens. Non elementaris, vt inquiunt, calor, qui materiam ſuam perdit; ſed viuificus eſſe debet, à quo materiæ naturales perficiantur. Sed quid mæandris eſt opus? Dico certum eſſe, omnia terræ antra,

*Tactus inter argumenta.* *Inſitum quid.* *Calor terræ aduentitius non perpetuus.* *Occupatio.* *Calor terrenus.* *Calor naturalis.*

tra, & venas, æſtiuis diebus frigidas eſſe; unde aquæ & flatus erumpentes frigidiſsimi ſunt. Quòd ſi ad metalla redeas, & à calore percoqui pro Eraſto dicas; contendam eſſe hunc à Sole vno: quanquam hoc etiam ex accidenti. Nam æſtate ſolum terræ calefit Sole appropinquante; hibernis verò diebus aluus incaleſcit, fugato ex aere calore in terræ præcordia. Sol eſt, ſi à Deo diſceſſeris, verus omnis vitæ author, & naturæ tertius moderator. Nam robur, ſalubritatem, feracitatem, puritatem, pulchritudinem omnem Sol efficit. Et ſi tantam ſtirpium & arborum varietatem præſtat, non metalla ſimpliciſsima coquet? Vtinam non grauaretur Eraſtus, me illa docere, quæ hactenus non intellexi! Agnoſceret ſanè, quod ipſe iam diu intelligis, me non contentionis eſſe cupidum, ſed ſapientiæ: atque ea de cauſa me iſta in medium afferre non dubitaſſe. Neque enim ſolum dictæ rationes me mouent, ſed eæ quæ ſequuntur duæ. Viuunt animalia, ea re calorem habent natiuum: præſertim digniora, & in partibus interioribus. Terra verò non viuit; quanquam eſt viuentium ſedes. Et, ſi vera ſcribat (nihil enim affirmo, ſed dubito) Eraſtus; quî ſtabit Phyſicum illud, ab omnibus receptum, *eſſe terram frigidam, ſiccam*. Nam id ſequeretur, ſi calorem inſitum omnia abſoluentem haberet. Quis verò & quantus hic terræ calor? quos emittet in cœlum vapores, cum neque tenues pruinas ac leviſsimas niues diſſoluat? Hæc enim ſi ſoluantur, à Solis vi, non terreno calore, ſoluuntur.

*Frigus terrenum.*

*Solis vires.*

*Studium intelligentia.*

*Terra uſus.*

*Terra qualis.*

## PARS TERTIA.

Atque de Eraſto ſatis & contra Peripateticam ſcholam abundè, ut puto, diſputatum eſt. Ad Aſtrologos redeamus, cum quibus de Cometarum effectibus ac pernicie, vel bonitate ac propria natura diſputandum eſt. Veruntamen

*Tranſitio.*

*Cap. I.*

runtamen, quam de eorum opinione ago, prius rem unam, eamque ſingularem, narrabo: unde Mizzaldi, qui de Cometa laborioſè ſcripſit, acumen apparet. Legerat homo, veteres inter ſe diſſenſiſſe de cometæ natura. Viderat, quæ Ariſtoteles, quæ Seneca recenſent. Eſſe dubium de Cometa, nunquid ex æthere vel elemento ſit: hoc eſt, nunquid ſtella ſit, aut ex radiorum continuatione ab ipſis ſtellis, vel ex fumis terrenis. Ipſe verò Mizzaldus, poſt longam de hac re quæſtionem, ita controuerſias dirimit. *Eſſe Cometam cùm cæleſtem tum elementarem à cælo, quatenus cæli virtus excitetur, & ſui planeta greſſum ſequatur. Elementarem autem, quod ex materia elementari, & proinde corruptibili, coaleſcat.* Verba viri attuli. Vides, Dudithi, ſingulare in homine judicium eſſe. Sciunt omnes, fatentur omnes, à cœlo eſſe, à Deo, quæcunque fiunt. Vident Cometam, vel in cœlo, vel non longe à cœlo eſſe. Curſum vident rei ferè cœleſtis. De his dubitare non poſſunt: de natura ipſa, non accidentibus, quærunt. De ipſa una materia lis eſt, num ſit corpus Cometæ ex fumis, vel ex æthere. Cum igitur eſt diſſidium de re tantum una, cur diſcernit Mizzaldus diſtinguendo inter genera rerum varia? Dico ego, eſtne materia Cometæ cœleſtis, vel elementaris? dicit ille, *Cometa eſt cæleſtis, propter efficientem cauſam; nam ſtellæ evocant fumos: eſt elementaris, quia ex fumis.* ſed ego dubito de materia ipſa, nunquid ex fumo, vel ex æthere ſit. De materia igitur una judicium eſt ferendum: & non erat pronunciandum Dictatorium decretum, ſed probandum fuit, materiam eſſe ex fumis, vel, non eſſe ex æthere. Sed ad majora.

*Diſſidium de Cometæ materia.*

*Mizzaldus ineptus.*

*Cap. II.* De Cometarum viribus effectibusque ſunt duæ timidorum opiniones. Nam Aſtrologi dicunt, *Cometam eſſe tum ſignum, tum cauſam ærumnarum, quia per ſtellarum vires maleficas, & fumorum ſiccitatem, homines & natura affligatur.*

*Opiniones de eventibus.*

*tur.* Theologi verò (non de prudentibus loquor) multi, non tantum *cauſſam dolorum*, ſed *ſignum iræ diuinæ* dicunt Cometam. Quanquam & Aſtrologi eò confugiunt, *iratum eſſe nobis Deum, & iræ tantæ Cometam eſſe portentum.* Et in eo maximè Aſtrologi peccant, dum aiunt, *multas & apertas vires peſtilentes, & hominibus aliisq́; animantibus infeſtas in cœlo eſſe: præſertim propter varios planetarum congreſſus ac ſtellarum diſpoſitiones, & lunæ ſolisq́; defectus.* Cum tamen ſatis eſſe poſſit una Dei voluntas: neque vires cœli arcanæ nobis unquam patuerint. Theologi verò minus prudenter agunt, dum rei natura non intellecta, naturæ ſtudium rident, & ad miracula veniunt, *prodigia* clamitant, *flagella & faſces in cœlo apparere, brachium porrectum Dei:* quare Philoſophos in his decipere vociferantur. Fatebar, hæc ipſa cum quodam Theologo differens, *pendere adhuc litem inter Phyſicos de natura, de materia, de loco, ac viribus Cometæ.* Fatebar (quid enim pudeat veritatis?) *me hæc omnia neſcire, & viros præcipuos eadem ignorare.* Tum ille: *Ergo à Deo, ergo prodigium, ergo formidandum.* Quaſi verò non multa à natura ſint, quorum naturam neſcimus; & ſtatim, ignorata rei vi, ſit verum, eandem eſſe contra naturam. Et quæ ſunt à Deo ſupra omnem naturam, ſint mox hac vna de cauſſa mala, horrenda, prodigia, infauſta. Credo equidem eſſe multos, qui putent, nihil à natura, nihil à Deo, nihil à caſu fieri poſſe, niſi eo conſilio, vt mox ab homine intelligatur, ac de eo diſputet, & ludum aperiat. Vides neceſsitatem de hac re differendi. Quæramus accuratè, quid Aſtrologi affirment, deinde quid nimis ipſi Theologi metuant, & plebi, aliis etiam qui non ſunt ex plebe, metuenda dicant. Sed prius videbo, an poſſim utrique ſcholæ timoris hujus partem aliquam detrahere caſu hoc inducto, à vero non abhorrente. Aegyptum

*Aſtrologi euentus.*

*Theologi euentus.*

*Caſus facilis.*

ſtatuamus in Italia, præſertim in maritimis Thuſciæ noſtræ. Nec pluuias, nec fulmen homo audiuerit vnquam; vt volunt ſcriptores nunquam pluere in Aegypto. Nec tamen legerit, aut ab aliquo audiuerit, quid iſta ſint. Videat homo in agro ambulans, vel apricans cœlo ſereno, ac tranquillo, obſcurari actutum aerem, ac tegi nubibus cœlum: cernat fulguralibus omnia ſplendere & accendi: mox ab vmbra & caligine cuncta occupari. Tum ad fulgura, cœlique ardores accedat fragor tonitruum, & ſtridor ventorum, qui mare, ac terram, ſilvasque annoſas quatiant & perturbent. Videat præter hæc ruere nimbos ingentes, & amnes ex montibus torrentes deuolui, fulminibusque tremendis auguſta templa turresque tangi ac dirui. Quid Aegyptius in tanta naturæ perturbatione non mali timeat? Hæc eſſe vera portenta, hæc prodigia, hæc monſtra ſecum reputabit. Naturam omnem iamiam peſſum ire dicet; actum eſſe de tam pulchra vniuerſi machina non dubitabit. At verò Italus vel ruſticus hæc ridebit. Vidit ſæpe aliàs. Naturalia ſcit iſta eſſe. Expectat à tempeſtate ſerenum, & maiori etiam poſt illos motus cum voluptate. Videant ergo rerum nouitatem plurimum iu animo imperitorum poſſe. Neque ullum eſſe hominem, quamuis prudentem & audacem, qui ab iſta nouitate horribili non perturbetur. Sed ad argumenta redeundum eſt.

*Stupor ex nouitate.*

*Cap.* III. Inter initia huius quæſtionis, cum Cometarii leuitatem notarem, dixi *Aſtrologos ambigua ſemper de hominum vita vaticinari; Sed ventos & ſiccitatem ferè omnes à Cometa timere, nonnullos autem proluuies formidare.* Videamus ergo, qualia hæc portenta ſint: & unde uniuerſi omnium generum euentus fiant. Omnes effectus (& hîc actionem cum opere, id eſt, actionis fructu, pono) ſunt *à Deo*, vel bruta *natura*, vel ab *humano* conſilio, vel à cæca *fortuna*. *Dei* ſunt opera

*Effectuum genera.* *Quæ à Deo.*

opera vel quotidiana & indubitata, ut rerum omnium ge- *Miraculum.*
neratio, & cura: vel inaudita & mentis noſtræ captum ſupe-
rantia, ut prima ex nihilo creatio, animi generatio, Chriſti
conceptus, mortuorum reuocationes. Porrò à *natura* duo *Quæ à natura.*
ſunt genera effectuum, alterum ſolitum, non admirandum,
(quanquam ego in omnibus cauſſam admirationis cerno)
præſertim vulgo; ut plantarum germinatio, fructuum edu-
catio, & florum partus. Alterius verò ſunt generis, natu-
ræ peccata, monſtra nempe vel ſtirpium, vel animantium:
& in homine ipſo non ſola vitia formarum, ſed animorum
peſtes; ut Catilina, Clodius, Nero. Jam ab *homine* illa ſunt, *Quæ ab homine.*
quæ ratione ac iudicio fiunt: quæue maximè in honeſtate
vel vitio verſantur, unde quis vel iuſtus vel improbus iure
appellatur. Et ab humano quoque ſunt animo, quæ ab o-
pifice manu finguntur. Porrò demum caſu & *fortuitò* fiunt, *Quæ ſint à caſu.*
quæ nobis inſperato, & nullo indicio accidunt: ut ſi quis
piſcator auream hamo catenam trahat; vel deambulanti
miſero tegula in caput cadat. Neque, cum fortunam in
cauſsis pono, Dei prouidentiam & conſilium tollo. Hoc
enim loco ſequor hominum, imò etiam ſapientum, uſita- *Excuſatio.*
tum ſermonem. Nam ſi rectè rem aſſequamur, & caſus &
fortuna ſunt, cum tamen incertum & minimè fixum utrum- *Fortuna & caſus.*
que ſit. Præterea, cum ſit nobis arcana in ſingularibus Dei
voluntas, non ab re caſum ibi reponimus, ubi neque natu-
ram, neque hominis voluntatem fuiſſe in cauſſa cognoſci-
mus. De euentis in præſentia ſatis: videamus portenta. *Portenta.*
Hujus generis duplicem video rationem. Nam ſi latè paten-
ti ſenſu *portentum* ſumant, Lunæ corona, aeris rubedo, ſta-
tuarum ſudor, portenta erunt. Portendunt enim, naturaliter
tamen, effectus proximos, viris doctis notos. Verùm enim-
uero res inaudita, & ſapientibus vix credenda, vel potius
ab omni fide aliena, ea verè prodigia, & monſtra & oſtenta

*Vera miracula.* ſunt Etenim à Deo ſolo iſta eſſe non dubitatur. Hoc tamen perſpecto, nempe aliquid à Deo fieri, ſine ulla naturæ vi, (quod iudicium tamen eſt fallax; multa enim ſunt à natura; & ab humanis etiam viribus, quæ ſuperant intelligentiam noſtram) perſpecto tamen hoc eſſe à Deo, ſi ulterius progrediamur, *rem eandem eſſe noua rei vel ſignum vel cauſam*, in periculo magno verſamur. Quare idipſum aſſerere hominis eſt fatentis ignorare ſe aliquid, ſimulque profitentis, naturam ejusdem rei ſeſe tenere. Quod ſi de monſtro dicere, *ſignum eſt hujus rei*, temerarium ſit; quantus erit illorum animus (ne grauius quid ſcribam) qui ſimul & ſignum & cauſam dicunt? Et qui non tantum de genere toto, ſed etiam de partibus loquuntur, aſſerendo vel beneficii, (quod rariſſimè dicunt) vel maleficii ſpecies, peſtem, bellum, diluuia, hæreſes, proditiones, alia ſexcenta mala, laudandi ne ſunt? Quæ verò Diuinorum ratio eſt, fateri incertas eſſe de iis conjecturas, Deum ſtellis non obligari aut Cometis: tamen audacter interim, ac ordine, omnes calamitates minari, & in eum, qui minus his credit, acriter inuehi? Et quanti ſunt illorum ſpiritus, qui nobilibus & maſculis, & fœminis, & prægnantibus, & præfectis, & quæſtoribus minitantur? quamne iis credendum, qui tam familiariter cum Deo agunt, & de ſtellis, & Cometis tractant, ut viſo Cometa, peſtem, & interitum canum, pecorum, armentorum, & aquatilium præcinere audeant?

*Temeritas in iudicando.*

*Cap. IV. Stoica contentio.* Sed cominus ac preſſius more Stoicorum. Si Cometa ſignum, cur potius infauſtum, quàm felix? Si verò ſignum, ſimpliciter, atque in vniuerſum non eſt. nam præcipuum aliquod eſt ſignum, cum agamus vel de iſto vel de alio Cometa; & Phyſica ſingularia ſunt ſingularis & propriæ naturæ. Cur, ut eſt certus vnus Cometa, non eſt etiam hoc ſignum, & huius mali, & huius aut illius temporis? *De propriis*, dicent, *nolumus*. Ego vero, nefas eſſe de peculiari Cometa loquentem

*Relatiua inter ſeſe.*

quentem generales effectus afferre. Siue enim cauſſa, ſiue ſignum Cometa ſit, ad aliud refertur. Quæ verò ſe vicisſim reſpiciunt, nexu tali vinciuntur, vt naturæ illorum, intelligentia & notio par ſit & mutua. Quare genera vniuerſum reſpiciunt; Generis partes ad formas, ſingula ad ſingularia referuntur. Minamur non abſtractis, & cogitatione nuda intellectis; verùm his aut illis mortalibus. Et cum ærumnarum cauſſa vel indicium ſit Phyſicum phaſma; vel de certis ærumnis eſſe debent præſenſiones, vel uniuerſalia ſunt omittenda. Quod ſi portentum Cometa diuinumq́; opus; cur naturam adiungunt? etiam eam genitricem & altricem faciunt? Si verò à ſtellis, à terra ipſa, ab ignis ardore, à cœli vertigine eſt Cometa; cur à Deo, cuius conſilia ignoramus? Et non modò à numine ipſo, ſed etiam ad hominum terrorem & labem? Et, ſi præſciri poſſunt crinitæ (dicunt enim ex congreſſibus planetarum Martis, ☿, ♄, ♃, & à defectibus Lunæ ac Solis fieri) cur timemus ut nouas, ut nunquam viſas, ut abſoluta miracula: cum ſint, effectibus non malæ, ſæpe etiam bonæ; cauſſis verò minimè timendæ; forma, facie, calore maxime iucundæ? Quæ cauſſa hîc ſubeſt calamitatum? Deus id neminem docet (vel iubet docere) peculiari fauore. Stellarum natura ferè omnium abſtruſa. Et, qui hæc docet, Ptolemæus, non modò futilia multa habet: ſed etiam quæ ab omni pietate abhorrent; cum velit exorari ab illo Deum, qui ſupplex adoret, Luna cum Ioue congrediente. Sed audio: ſuas *obſeruationes* obtrudent, de quarum vi, tu Heros multa, Eraſtus etiam non pauca. Ego quoq; nonnihil dixi & dicam.

*Vera obſeruatio.*

Obſeruatio euentus tum eſt vera, cum videmus fieri multa poſt aliquam rem, quæ ſemper fiunt poſt rem eandem, & nunquam accidant, niſi ea prius exiſtente.

*Falſa & fallax obſeruatio.*

Quod ſi colligas euentus multos poſt aliquod naturæ opus, qui iidem

eventus citra hoc ipſum accidant, & ſæpe maiores ac numero plures, quæ ratio obſervandi? Narrant, *poſt aliquot Cometas bella, cædes accidiſſe.* Ergo à Cometa hæc ſunt?

*Caſus contra Cometarios.* Nugatoria ſane argumentatio. Nam ego contra, prælia innumerabilia, ſeditiones, cædes, peſtes, terræ motus, obitus heroum afferam, nullo viſo Cometa. Ergo hæc damna non à Cometa. Traiano poſt Neruam Imperatore in Cypro inſula, in Aegypto, ſupra quadraginta hominum millia cæſa ſunt. Cometa nullus. Adriano etiam imperante, poſt Traiani obitum, quingenta millia Iudæorum à Romanis trucidata ſunt. De Cometa nulla mentio. Et, ſi fuiſſet, nullus mortalium iſtas clades à Cometa vel indicatas, vel effectas fuiſſe, probare poteſt. Per annos viginti vexatur Gallia, vaſtatur, funeſtatur inteſtinis & perpetuis bellis: quot hominum milia demerſa aquis, ferro trucidata ſunt? Si quotannis præcipuus in eo regno imminens Cometa viſus fuiſſet, vix iure ſuſpicari deberent, id à cœleſti quadam luce fieri poſſe. Tamen ſine minis vllis Cometæ in Gallia partim peſte, partim ferro ad vicies centena millia hominum 10. annis extincta ſunt.

*Viſum lucidum in Caſiopea.* Vidit Europa, anno abhinc quinto, in Caſſiopea ſtellæ formam inſignem. Quanta iudiciorum varietas! Erant qui ſtellam veram dicerent: aliqui Cometam. Vtra pars verum ſciebat? Omnes aſſeuerabant, opinabantur, leuibus coniecturis & ridiculis adducebantur. Et qui ſcripſerunt, etiam docti magniq; nominis viri, portentum felix & fauſtum omnes putarunt. Vidi ego quorundam verſus, nomina omitto. Si luſus appelles, non erres. Etenim ſæpe ludimus, & ludimur ſimul, cum ſeriò nos agere cenſemus. Canebant, *eſſe ſtellam alteram poſt Chriſti Seruatoris natalem; ſecundum redemptoris adventum appropinquare; Magos principes ac regulos ad nos venturos, & Scythas in Chriſtiana caſtra*

*tran-*

*tranſituros* dicebant. O nos miſeros! pro lætitia mœrores, pro fauſtis præſcitis infelices exitus vidimus. Belgium perpetuis belli calamitatibus deuaſtatum. Italia peſte trium annorum exhauſta. Diſcordiæ de religione in dies & plures & magis deplorandæ. Et venit Scytha, non vt Chriſti lauacro perfunderetur: ſed vt Chriſtianos innumerabiles captiuos (ò calamitatem lugendam!) abduceret. Et fuit Phyſicus quidam, qui ſtellas Caſſiopeæ veras, cum noua illa non vera ita digeſſit, ita religioſe diſpoſuit, ut in crucifixi effigie haſce omnes, ad caput, ad pedes, ad manus, ad confoſſum latus accommodarit, triumphum in hoc ipſo bello commento Chriſti contra Crucis hoſtes præſagiens. Pœnitet, puto, philoſophos, non modò aliquid prædixiſſe, verùm ſtellam vocaſſe luccem, quæ nec diu manſit, & extincta eſt. Nihilominus tamen, ſi quod appareat aliud viſum, nec Poetæ deſunt, nec Phyſici, non Aſtrologi, non vates, qui ſuo arbitratu fingant, & exitus incertos prænuncient. In quo magna eſt errandi cauſſa, quòd, cum præteritas naturæ turbas, pluuias, ariditates, æſtus ac ventos, terræ etiam tremores, non præſentia, videamus, quia jam abiuerunt, non poſſumus cum iis quæ nunc fiunt ea conferre. Et quæ inſtantia ſunt, verè afficiunt, pauorem incutiunt, vel ſaltem animum ſuſpenſum reddunt. Neq; ſecus in hac re, quàm in nobis, accidit. Nullus eſt tam leuis dolor, quin ab ægroto longè maior & ſæuior præteritis doloribus videatur. Nimirum illud eſt cauſæ, quòd ea quæ non ſunt, vel nihil nobis vel minus noceant, neq; præſentis mali pondus poſſimus cum præteritis, quæ non ſunt, conferre. Quo fit ut vel modicus ac leuis morbus, magnus nobis & intolerandus eſſe, dum alium non ſentimus, videatur.

*Exclamatio deplorans.*

*Chriſtianorum ærumnæ.*

*Cornelii Gemmæ delirium.*

*Comparatio non inepta.*

Supereſt, Dudithi, ut illi amico reſpondeam, qui pro vulgari iſta opinione contra Ariſtotelem ſcribit. Is ait, *Cap. V.*

*Qui*

*Qui probat Ariſtoteles, præter ventos & ſiccitatem, nihil aliud à Cometa eſſe?* & ſequitur in aceruali, his verbis: *Si à Cometa æſtu terra afficitur, ergo & ea quæ ex terra naſcuntur: ergo & cibi, quibus homo & animantes aluntur. Quòd ſi homo à Cometa affligitur, ergo & corpus hominis, idq; aperta vi caloris: & ſi corpus, cur non & animus, occulta vi Cometæ læditur? Afficitur enim animus læto temperamento, ut ait Galenus Quare temperamento deprauato, fiunt animi motus, & ita reſpub. violatur.* Ego verò affirmo, Ariſtotelis dictum facile probari poſſe. Satis vir doctiſſimus intelligebat, quanta vis foret in Aſtronomica obſeruatione. Neq; ignorabat, quàm incerti ſint, & fallaces annales, in quibus prodigia & horum exitus imperitæ multitudinis relatu digeſti ſunt. Incerta quæ ſunt, vir grauis non attingebat. Quibus vel humanum tollebatur arbitrium, vel Dei maieſtas & prouidentia violabatur, ea cuncta neglexit. Quare in vna ipſa natura manens, de rebus naturalibus naturaliter diſſerebat. Et ſanèquid aptius potuit dici, (ſi ſit Cometa igneus) quàm, ea fieri poſt Cometam, quæ ab æſtu aeris proficiſcuntur? ventos igitur ac ſiccitatem prædixit. Tu autem non vides, quibus artis initia contraria ſunt, iis eſſe contrarias rationes & concluſiones? Homo Chriſtianus à prouidentia totus, & rectè, pendet. Rem quæ phyſica eſt, tu nominas Diuinam, & eius rei, cuius omnes homines ignoramus naturam, ortum, & materiam, & cauſſas effectrices, vis finem, vſum, & euentus per ſe dubios tenere. Et cum te fugiat (ut nos omnes fugit) numinis decretum, audes aſſeuerare, *Deum iſta permittere, Deo id gratum eſſe, Deum id velle ac porrò poſtulare.* Habes ad hæc variis locis, *nullum Cometam non infauſtum fuiſſe: & eſſe Diuinæ iræ nuntium: quo fit vt ſignum ſit obſeruandum, quia ſignum referatur ad aliud.* Dixiſti, *non fuiſſe felicem, ut ait Plinius, Auguſti cometam. Ac tales nuncios,*

*Ariſt. prudens.*

*à Deo*

*à Deo irato immitti. Enſem adhac*, ais, *pendulum ſuper vrbe Hieroſolymorum, fuiſſe verum portentum.* Demum concludis, *metuere à Cometa, pium eſſe ac ſalutare.* Quæ omnia ego particulatim expendam, ſi prius tamen propugnaculum tuum ſoritem oppugnare tentauero.

Tune, qui Plinium Secundum indoctum, & Ariſtotelem *ſine methodo, ſine eruditione, ſine fide* vocas, acerualibus uteris? at enim Socrates? fateor: ſed ſæpè cum pueris agens. Neq; Ariſtotelis pondus, Platonicæ ſuauitati poſtponendum putant. *Captioſum eſſe argumentum, neque Philoſopho dignum*, Cicero ſoritem ſcribit. Et reuera, quid facis in Sorite? quæris, petis, accipis à nòn dante: concludis totum, partem nemine concedente: & ea ſumis pro certis, qnæ tamen nullo modo probas. Mitto, ſæpè partes in ſorite eſſe, ex genere incerto & contingenti, ut vocant. Tamen eſt nefas, uniuerſam naturam ex partibus non neceſſariis conficere, tanquam neceſſaria conſecutionis vi. Quid ſi tibi reſpondeat Ariſtoteles; *ego quidem, quæ petis, neſcio. Non video quid negem: tamen ex omni parte aſſentiri non poſſum.* Ea eſt enim vera in diſputando gloria, ſi non ſolum urgeas ac perturbes hærentem aduerſarium, ſed cogas fateri, te vera concludere. Nam ſophiſticum eſt, hominem in dubio ponere: Philoſophi autem proprium, has voces extorquere, *Viciſti: do herbam.* Quare niſi id quod ais argumento probes firmiori, quid egregii præſtas? Quid? nondum hoſte victo, de victoria gloriaris? Videris ei militi ſimilis, qui inuaſurum in murum facilem dicit, id quod ſuis commilitonibus his verbis tentat perſuadere; *Scalam admouebimus: primum iam tenetis gradum, quis vetat proximum? à ſecundo ad tertium nulla diſtantia: & hinc ad quartum ſaltu proſiliemus: proximus eſt quintus, & à quinto ſextus propè eſt. cum ſumus in ſexto gradu, pinnas muri prehendimus.*

*Acerualis cõfutatio.*

*Sophiſta. Philoſophus.*

*Comparatio.*

Minutatim, ut vides, & gradatim colligis in ſorite; quæ ipſe, ſi expectes, vel omnia, vel multa negare poſſim. Si cum homine tacente certes, aut ſingula incautè dante, viciſti. Sed milites, qui in muro latent, è quarto vel tertio, fortaſſis etiam è ſecundo gradu, te deturbabunt.

*Aeſtus ſiccitas.* Nego ab æſtu, à ventis, à ſiccitate, fruges corrumpi. Quis enim id verè demonſtrat? Duplex eſt ventorum genus: gemina item ſiccitas & æſtus. Aquilones nunquam pernitioſi; à meridie venti peſtilentes. Aeſtus Euronoti formidandus; cum ventis Eteſiis nequaquam. Salutaris, hyberna ſiccitas; æſtiua, non item: Demum, eſt cum in ventis, tum in æſtu omni duplex gradus. Nam à nimio damnum, à magnitudine non ſemper. Ergo non bene concludis, *magni ſunt venti & ſiccitates; ergo læditur natura, & animalium eſca.* *Vitium frugum duplex.* Et quæ ex terra proueniunt, duplici læduntur modo: vel enim eſt rerum paucitas, vel putrefactio. in primo caritas, in ſecundo morbi, non tamen peſtilentia indubitata. Et vitiari poſſunt plantæ, animalibus minimè læſis. Non enim hæc ipſa perpetua ſunt, neque unus eſt gradus in vitiis naturæ, ſiue agentis, ſiue patientis. *Partium Vniuerſitatis repugnantia.* Elementis cœlum, & elementum elemento repugnat: & ſæpè vires elementorum, cœlo ac ſtellis: nec rarò ipſe homo, ſuo mentis vigore, elementis & cœlo reſiſtit. Eſt citra peſtem fames, & ſine caritate peſtilentia nonnunquam. Pereunt oues valentibus capris, & boues non læſo porco, & pecora omnis generis homine inuiolato confici poſſunt. Verum enimuero, afficiatur, ut vultis, humanum genus. Fel, ut ſcribitis, inflammetur. Ergo mox bellum & cædes? Contrarium ego cerno: ſi enim ad morbos ac peſtes excipiendas corpus afficiatur, nihil minus quàm bella ſunt metuenda. Nam ſiquis ardeat bellandi libidine, cum primum inuaſerit digituli dolor, vel morbi ſemina intus oriantur:

mox,

mox, debilitata natura, ſpiritibus infirmis, caſtrorum & pugnæ abjicitur animus. Valentis enim nimiumq; robuſti corporis, eſt bellum & ardor militaris. Et neque id perpetuum eſt, ut exacerbatis & æſtuantibus animis, & rebus omnibus ad bellum promptis, bellum geratur. Quid ſi etiam in campum prodeant, etiam caſtra caſtris oppoſita ſint? Recordare Maximiliani clementiſſimi Cæſaris in Turcas expeditionem. Ex Hiſpania, Italia omni, vniuerſa Germania, copiæ coguntur, bellum fuit ſiue bellicus apparatus, prælium tamen haud vidimus, minus autem, clades accepta: quod Chriſtianæ Reipublicæ Imperatoris, contra omnes militum furores, prouidentia factum eſt. *Animus belli cupidus.*

Noſti ad hæc optime, N. non ex genere formam, neq; ex toto partem concludi, ſed contra: tu autem ita ſcribis, *Si homo læditur, ergo & hominis corpus.* Contra potius agendum eſt, & aſcendendum, ſi velis in murum ſcandere. Dictum igitur laudarem tale; *vitiato alimento, læditur corpus; & corpore humano affecto, homo violatur.* Nam ſi dicas, *læditur homo, ergo corpus*; (atque ita ſcribis:) perinde eſt ac ſi dicas, *offendiſti ſenatum, ergo Tullium vulneraſti.* Poteſt homo affici; non tamen ex eo conficies partem aliquam certam, & ſingularem lædi. Niſi diſtinguas; *homo violatur; ergo vel corpus, vel animus.* *Error Dialecticus.*

Præterea ſcribis; *corpus hominis vitiatur, ergo & animus.* Quæſo, quis tibi hoc dederit? nam video multa morborum genera, in quibus grauiſſimè corpus, minime verò animus vexatur. Neq; ratio valens eſt, à materia ad formam ducta: præterquam quod officis tibi ipſe, dum ais, *corpus vi Cometæ elementari afficitur, animus autem abſtruſa vi.* Primùm, qualis hæc noua in Cometis occulta vis? Quis eam hactenus ponit? aut ſi ponit, hanc eſſe docet? Deinde, ecquam tu noſti actionem virtutis, quam virutem

minimè cognoſcas? Non, nam in magnete aperta eſt actio. Motus enim à ſenſu percipitur. Nos autem ſcimus animi noſtri affectus eſſe, cum à corporis temperamento, tum ab imaginibus objectis, gratis vel ingratis. Neque, à Cometa pulſari, aut moueri leuiter animum, ullo pacto cognoſcimus: & ne vel minima quidem ſuſpicione perſequi poſſumus. Quod ſi dedero tuam iſtam vim arcanam, dicas amabo te, ubi nam illa hærebit? Cometa extincto, ſi velis manere calorem; dabo aliquem diſputandi gratia. Recondita verò facultas, quæ in ſubiecto valente viget, quam ſtatues, Cometa iam nullo? vultis tamen, *anno etiam poſt octauo, vires in Cometa durare pernicioſas.* Et quæſo, quid conficis in tuo argumento, quæ vis tuæ huius rationis? *humanum corpus afficitur à vi Cometa elementari; ergo animus, occulta pernicie?* Neque eſt, N. in Cometa vis latens: & ut inſit, latebunt eius effectus, & nullus unquam id ſcripſit: nihil ergo efficis, colligens ex vi aperta, occultæ virtutis perniciem. Tranſis enim à corpore ad animum, à re corruptibili, ad incorruptibilem & immortalem naturam. De ſorite hactenus.

Oraculum videtur eſſe, non philoſophi vox, *nullum Cometam ſine ærumnis fuiſſe.* Illud affirmas pro certo, de quo magna contentio eſt; &, quod eſſet probandum, idipſum pro exploratiſſimo habes. Et hoc loco cum Aſtrologis nonnullis pugnas, qui volunt *interdum Cometam felicem eſſe.* quod ſi accidant poſt Cometas mala grauiſſima, ecquis tibi hoc dabit, has ærumnas eſſe verè ac neceſſariò ab ipſo Cometa? Videmus enim quotannis quibusdam in terris, omne mali genus, nullo etiam Cometa viſo. Neq; ego minus de fulmine, quàm tu de Cometa, contendam. Bellum, peſtis, fames, poſt viſum fulmē fuerunt; ergo à fulmine iſta profecta ſunt. Verum non diſſerere, ſed inſanire hoc eſſet. Quare ſi placet, muta opinionem.

Iam

Iam non tantum audes, in vniuerſo genere verſari; ſed ad ſingula deſcendis. cenſuit antiquitas, *Auguſti Cometam fuiſſe fauſtiſsimum.* Tu negas, & Plinium ſpernis, grauiſsimum ſcriptorem & integerrimum & eam rationem affers, quæ ratio nulla eſt. dicis enim, *ut hiſtoriæ docent.* Plinius tantæ autoritatis vir, qui illa omnia vel audiuit, vel vidit, qui plura etiam earum rerum tractauit, mundo Cometam illum gratulatur. Tu verò, poſt mille quingentos annos, infauſtum dicis, & euentum nullum ſubiicis infelicem? Omnes in eo conſentiunt ſcriptores, feliciſsimum fuiſſe Auguſti ſeculum. Nunquam fuit maior ingeniorum, atque literatorum ubertas, nunquam ampliores Imperii Romani fines, nulla tam certa pax tamque ſecuta. Tu tamen *infelicem fuiſſe*, ſcribis, *Auguſti Cometam?* *Plinii ſecundi defenſio.*

Et ſubiicis, *permittere Deum hoſce nuncios iræ ſuæ, & ſæpè ſine ſecunda cauſa*; atque *Cometas timere pium eſſe*, idque *ad ſalutem pertinere, Deum id velle ac poſtulare.* Quæ omnia ſi vates aliquis certus pronunciaret, utique crederemus. Si verò tu, quem tamen egregiè doctum & valde probum eſſe iam diu ſcio, philoſophum agens, non in poemate, ſed inter philoſophos, iſta loquaris, vereor, ut credant, qui ſapiunt. Crede mihi, N. nimis familiariter cum Deo agimus, talia in medium afferentes. Quæ religionem ſpectant, non ſunt arbitratu hominum fingenda, ſed è ſacris monumentis eruenda, vel potius recitanda. Cometas à Deo mitti, velléque Deum, ut Cometam credamus oſtentum eſſe, neſcio legere in ſacro volumine. Et quænam eſt Dei permiſsio, ſi rerum bonarum & phyſicarum Deus eſt autor princeps? Si permittit, cur non efficit? & ſi perficit, quænam permiſsio? quiſue facit Deo conniuente? num Angelus, vel Dæmon? num ipſa natura, vel fortuna bruta? Hæc ſi tu, ſicut cæteri mortales, ignoras, quo pacto penetras in conſilium Dei?

præſtaret fateri, quod clariſsimi viri faciunt, ignorare te, quid Cometa ſit, quàm iſta commentari. Quod ſi nos fugiat phaſmatis natura, unde effectus intelligimus, & ordine digeremus?

Et illud nullo modo ferendum eſt, in almæ ſapientiæ ſchola, hominem qui neſciat, quid, unde & quorſum ſit Cometa, dicere nullo argumento, *eſſe à Deo nonnullos Cometas citra cauſas ſecundas.* Quis hoc demonſtrat? quis unquam narrauit? Neque dicis, poſſe Deum, ſed facere; perinde ac ſi veriſimile ſit, Deum ſine vapore, ſine fumo, ſine motu, ſine calore, ſine cœli ac ſtellarum vi, Cometas nobis velle præſentare.& ſi aliquos ita efficit, cur non omnes? Dicis præterea, *enſem Hieroſolymitanum fuiſſe verum portentum ab irato Deo.* mox ais, *ſi vera de hoc oſtento ſcribuntur*; & fundamentum rationis tuæ ipſemet parentheſi tua infirmas.

Quid autem, quam graue illud eſt, *ad ſalutem Cometas metuendos eſſe, & hoc à nobis Deum requirere?* Hoc ego ſcio, te nunquam viris grauibus iſta probaturum.

Atque tua illa ratio ab iis fontibus manat: *Immittuntur à Deo cometæ: ergo ſunt ſigna, ergo ſeruandi euentus. Nam ſigna referuntur ad ſignificata.* Si ponas fundamenta, & nemo vetet, facilè tu quidem ædificabis. Verùm hoc, hoc unum tibi eripiam, N. vnde omnia tua corruent, nemini conſtare poſſe, ab irato Deo Cometas eſſe. Quod ſi non ſunt, ergo nec nuncii; (vides me quoque acerualibus uti:) ergo neque ſigna; ergo nulli euentus, quia nihil ſignificant. Tu autem palmarium cenſes argumentum eſſe hoc; *eſt Cometa ſignum. ergo ſignificat.* Hoc tu me doce, *ſignum eſſe Cometam*; & vinces, ſimul & illud vince, cur non ſunt etiam ſigna, & monſtra, & metuenda, fulgur, tonitru, & fulmen? Etenim & miranda, & horrenda ſunt; & poſt hæc phaſmata, multæ incidunt ſæpè ærumnæ. Atque de hac opinione ſatis. Ad reliqua veniamus.

Cœlum

Cœlum anno 1575. in vindemia menſe Octobre per noctem integram arſit, vel ardere viſum eſt. Dimidia cœli pars ad Aquilonem flagrabat. Res mihi nunquam prius viſa, & omnibus certè mortalibus tremenda. Lux magna, latitante luna, ad Sileſiam & Sarmatiam exſtitit, inſtar crepuſculi matutini. Erat in horizonte plaga in arcum eminens, & oblonga: atque ex lucido iſto tractu à ſumma extremitate radii ingentes, modò hîc modò ibi rectisſimi erumpebant. Qui radii, vel diu immoti ac turbinati ſtabant; vel disſipabantur, & noui ſubinde prodibant. Et (quod cum ſtupore contemplabar) ex radiorum interuallis emicabant flammæ ingentes, tremulæ: quæ mox in cœli verticem una poſt aliam curſu celerrimo ferebantur. In quo loco non paucæ aliquamdiu manebant, mox aliquæ evaneſcebant. *Cap. VII.* *Cœli ardere.*

Vidi ego nocte concubia, ab utraque lucis extremitate radios ad medium ſpacium feſtinantes, atque inter ſe aduerſos & infeſtos, tanquam duas acies inimicas acerrimè concurrentes. Factus ibi conflictus & radiorum confuſio, ſeſe inclinantium, adverſos prementium, mox refugientium, ſe attollentium, & contorquentium, cum incredibili colorum, punicei, violacei, flaui, rubei varietate. In hac pugna & cœleſti certamine, inclinata orientis parte, radii occidentis valentiores, fortiores, & victores apparuerunt.

Qui facile ſibi credunt, *bellum horrendum iamiamq; inter nos & Mahometanos fore* dicebant. *Prodituros in aciem duos Monarchas: pugnam appropinquare: nos autem victores fore.* O noſtra deſideria inſana! nugatoria dicta fuerunt. Nos ipſi timemus, nos miſeri multamur, diripimur, vexamur. Turcarum antiqua & Schytharum infelix præda.

Jam ſi duo hæc phaſmata ſtellæ, ut dicebant, & flagrantis cœli ſine vi ulla fuerunt; ſi fauſtæ illæ, à ſtella Caſſiopeæ

peæ præſenſiones, & à cœli ardore timores nulli fuerunt; quid à Cometa metuimus? quantumue erit pondus in incertis euentibus, quorum ſi 4. illi pro ſe, nos decem pro nobis in medium afferemus? Quare leuiſsimæ obſeruationes omittantur, quæ vulgus paſcunt ac fallunt, negligantur, ſi rationibus & argumentis nixi, viam & latebras veritatis volumus inueſtigare. Quæro igitur ab aſtrologo, unde ſit prima & potior prodigii vis, num à Cometæ ardore, vel à cœlo, vel potius ab ipſo numine? A Cometa quatenus tenuis eſt, hoc eſt corpus ex fumis, & à fumo ardente ſub cœlo (quanquam & hoc fieri nego) quæ inſidiæ principibus nectentur? aut propria gignentur mala? Siderum autem nec numerus certus, nec materia, nec locus; minimè autem propriæ ac ſingulares vires nobis apertæ ſunt, ſi à lumine, radiorum calore, vel tepore diſcedat. Quis enim illas in ſtellis vel homini, vel terreſtribus aut aquatilibus beluis infeſtas vires verè unquam nouit? de Deo inferius agam, ubi cum Theologis diſputabo.

Quid autem in Cometa, niſi amicum, & periucundum? imò etiam ſalutare? ſi æthereus Cometa, ergo non malus; omnia ſalua. Nam Cœlum optimum eſt, & ſalutis cauſa excellens, uti purum, & unius tenoris, in luce, in radio, in forma, in ipſo numero, in æterna æquabilique conuerſione. Si minus amicas dicerent Martis, & Saturni ſtellas, atque ea re minus bonos aliquos Cometas, paulò fortaſſe minus errarent.

Concederem non adeò bonum eſſe, id quod minus lucidum, ac minus calorificum ſit. Sed minorem caloris & fulgoris gradum haberi pro ſumma pernicie, concedendum Aſtrologo nequaquam eſt. Videant porrò iſti, quàm non acerbè agam. Eſto: ſit ex fumis Cometa: ardeat iſta moles aſpirationum. Dico, nullum eſſe ab eo igne malum,

à quo

à quo ne calor quidem eſſe poſſit. Nam ignis eſt acer & adurens, qui in denſo fomite ardeat: ſi verò in tenui, ardor quidem eſt, & ſplendor, & flamma, non tamen excellens aduſtio.

Vinum ſtillaticium nos docet. Ardor enim huius liquoris flammam edit, ſed minime inflammantem. Et velum tenuiſsimum hoc madidum liquore, inflammatur quidem, non tamen comburitur. Sed in fumo, quam in liquore, maior tenuitas. Denſent iſti ſuos fumos quantum volunt, non tamen ea erit fumi craſsitudo, ut ſit cum liquoris materia conferenda. Deſcenderet liquor, ſi eſſet in aere: cum tamen velint in tenuiſsimo illo aere ſuſpendi fumum. iam ſi fumus tenuior, quàm vinum ardens, à remotiſsimo loco vel nullus omnino, vel tenuiſsimus calor ad nos pertinebit. Atque à tenui mitique calore nullus æſtus, nulla bilis, nullus impetus eſt in animis hominum.

Et ſunt etiam qui credant *à calore ac ſiccitate peſtiferos eſſe morbos.* Dabo, Cometam eſſe fumum flagrantem. Concedo, æſtum aliquem ex aere à ſummo ad nos deriuari. Nego tamen, à ſiccitate peſtilentiam gigni; vel id fiet rariſsimè. Quis enim eſt ille morbus, qui non ſit ab humore? Humores autem omnes à fumo ſiccantur. Et in fumeis caſis agentes, quamuis à fumo excœcentur, ſano tamen, integro, robuſtiſsimoque corpore ſunt. In Rhætia inferiori ſunt Vermonetes, Voltureni, inquam, populi, in amœniſsima & nobiliſsima valle, vbi ruſtici in fumo viuunt: focus enim in media & humili caſa fumo & fuligine omnia complet & fœdat. Fumum hauriunt ſemper, fumum oculis excipiunt: fumum toti & veſtibus & ſpiritu fœtent: nihilominus tamen & optima valetudine in illis alpibus vtuntur. Et à feruore quodam ima-

ginario, ab æthere deſcendente, à quo nullam vim percipimus, ardores metuimus? & inflammationis peſtes formidamus?

*Putrefa-ctiones.*

Mitto, peſtilentiam eſſe ferè nullam, niſi ab humore nimio & putri. Tum enim fiunt ſopor, pigrities, tumores, ulcera. Quæ omnia cum à putri ſint vel humore vel halitu, ſequitur ut ab æſtuoſa ariditate nulli morbi, vel peſtis nulla ſaltem, gignatur. Quòd ſi ab æſtu vitia ſint, iam extincto Cometa, hoc ſaltem dabunt, ab ea cauſa gigni pruritus, lippitudines, tertianas febres, in quibus malis, vel nulla eſt, vel ridenda contagio. Quare labes illa morborum horrenda, & humano generi perniciosa, fruſtra portenditur. Huc accedit, æſtuante poſt Cometam aere, vel etiam dum fumi eliciuntur ad Cometam conflandum, purgari corpora noſtra, & ſicciora, & magis integra fieri. Quis enim dubitat, non prius ex aquis ac terra vaporem aut fumum educi, quam iidem ex animali corpore euocentur? Animantes, homo cumprimis, calorem habent innatum. Ad natiuum calorem accedit perforata cutis, perſpicabile corpus, & facilè penetrabile. Molliores autem naturæ vim aeris ac cœli promptius experiuntur. Ergo prius ab homine, quàm à terra, exibunt fumi. Quid porrò eſt, elici è nobis fumos, quam purgari noſtras naturas, & halitus & cauſas inde morbificas prohiberi ac tolli? Nam à vaporibus humores noxii ſunt: illis diminutis etiam humores decreſcunt, atque inde ſunt minores materiæ, vires morbificæ. Quid? quod ſimilia facilè coeunt? Aeris autem calor & vapor quid facilius è corporibus educent, craſſosne, vel tenues halitus? Craſſa minus ac tardius afficiuntur, tenuia verò & acriora ab acri tenuique

aere

aere minori negocio commutantur. Ergo ſi quis æſtus in aere ſit cometa ardente, vel maneat iam extincto, corpus noſtrum firmius reddet, cum exeuntibus fumis acribus temperatius reddatur corpus? Et à modico temperamento vires omnes fiunt valentiores. Quemadmodum autem à Cometa terræ motus fiet? Nullum eſt crinitum ſidus, niſi (ut ipſi volunt) ex fumis magna copia à terra exhalatis. Cum autem ex terra vapor educitur, id fit in terra, quod in animantibus fieri dixi.

Quare tantum abeſt, ut ſit periculum terræ tremoris; cauſa potius omnis hujus mali penitus amouetur. Nam timendum eſt, ne terra concutiatur, cum cauernæ ſunt flatuum plenæ. ſi enim horum eſt vis tanta, vt ſpacia non ſufficiant iis coercendis, tum ſequitur motus, & perturbatio, & lucta inter vaporem ac terræ molem. Quo fit, vt exitu negato, ipſi ſibi halitus concuſſa terra, & ſæpe diuulſa, viam aperiant. Sed non impletur vaporibus aer, niſi iſti ex terræ præcordiis eliciantur: & cum abeunt, non tremet unquam terra.

Prædicunt etiam alluuiones, & cauſam narrant ridiculam. *A Cometa*, dicunt, *dum ardet, caleſit aer atque ſiccatur; etiam illo finito fervor quidam, & aduſtio in aere manet: ſuſpenduntur imbres, areſcit aer ac terra: ſequitur ergo, ut poſt longam cum feruore ariditatem, pluuia ingentes deuoluantur. Atque inde ſunt magnæ alluuiones.* Ita, cum de rerum phyſicarum vi & effectibus diſſeratur, etiam euentus recenſent, qui remotiſsimi ſunt, & alia de cauſſa fiunt. Perinde ac ſi non ſit à Philoſopho alienum dicere, à Notho vento effici ſanitatem, quia cum faciat per ſe morbum, curatur tamen æger, ut à perito feliciq; medico perſanetur. Quare hujus anni perpetuæ plu-

niæ non fauent iſtis, cum omnes ariditatem & incendia prædicant: ex inopia verò pluuiarum velint poſtea fieri alluuiones.

De morte Principum paulo poſt agam. Nunc illud ſtudeo ſcire, qua ratione tumultus & bella à Cometa fiant. *Bilem gigni* ſcribunt, & eam quidem *aduſtam*. ego verò non gigni affirmo. Nam calor interior adurit ſanguinem, non externus. Et cum incaleſcit per æſtatem aer, frigeſcunt interiores animalium partes, uti etiam in terra fit. Et ſi fiunt bilis vomitiones, id accidit, quia humor per hiemem genitus in æſtate rejicitur. A Cometa verò neque æſtus, neque leuis calor. Mitto tuas rationes, clemens Patrone, quibus doces, bilem cauſam belli non eſſe. Hoc ego unum addo, hominum ſobriorum, aſtutorum inquam, eſſe inferendi belli conſilium, non à bile concitatorum atque furentium. Et ſæpe levisſimæ ſuſpiciones ad arma impellunt. Facilitas autem ſuſpicandi eſt à pauore. Pauor autem à frigore, cum aquæ tum terræ, in animantibus.

*Belli cupidi qui.*

Præterea duo ſunt, præter Deum, vnde iſtæ turbæ ac diſsidia fieri poſsint, ſi tamen fiant; Cometa, & ſtellæ. Quæro ex iis duobus, quæ potior & valentior eſt ruinæ cauſa? Non præferent, puto, Cometam, fluxum effectum. ſtellæ quæ cauſa? cœleſtis & æterna. Cur ergo, ſi ſtella tanti ſit, & animus humanus vel vna cogitatione impellatur, cur, inquam, noſter animus non afficitur, non commouetur à ſtellis præſentibus, & earum diſpoſitione atque habitu, hac ipſa hora, ut putant, infelici? Quorſum expectant bilis feruores? cur ventorum ſeras tempeſtates? vt à vento ſiccitas, à ſiccitate ac bile ſit ira & libido: ut ab his animi motibus vita hominum turbetur ac violetur, omniaq; bellis & cladibus funeſtentur?

Eſt item

Eſt item ea ratio non contemnenda: Deum ſi minetur, non agris, montibus, aut ſiluis minari; ſed hominibus certis ac gentibus. Optima enim & ſapientiſſima mens nihil temerè agit: ſed certa ratione ſummoq; conſilio inſtituit & perficit, quæcunq; vult. Conſideremus nauale prælium ad Echinadas inſulas commiſſum. Nobiliſſimus fuit conflictus. Inter præcipuos huius orbis Monarchas decertatum eſt. Nullus tamen Cometa cladem tantam hominibus indixit. Et ſi quis eo tempore viſus fuiſſet, non tamen irati Dei ſignum extitiſſet. Etenim cum non locis, vt dixi, ſed gentibus minetur Deus, quî fit, vt vna eademq; hora ex omnibus ferè nationibus Europæ, Aſiæ, Africæ mortales trucidentur? Erant ibi Scythæ, Mauri, Aethiopes, Aegyptii, Aſiani. Quid referam Chriſtianos generatim, populos Hiſpanos, Germanos, Hungaros, Italos, Marcomannos & Sarmatas? Ex omnibus hiſce gentibus demerſi multi, cæſus numerus ingens. Quis unquam Cometa potuiſſet, quamuis immaniſſimus, & non à Deo, ſed à furiis orci accenſus, tot populis, tamque diuerſis moribus, cultu, religionibus, locorum interuallis, tantam calamitatem vno die infligere? Si fœtus & filius eſt aſtri Cometa, neque vnum aſtrum omnes mundi partes lædere poſſit, quo fit vt Cometam velint ita multas, & inter ſe varias gentes vno gladio trucidare?

*Cap. I.*

*Exemplū illuſtre.*

Dura ſanè ſunt multa, quæ iſti ſcribunt; ſed illud minimè, aut vix ferendum, cum Regibus principibusq; viris extrema minantur. Vtinam ſit aliquando Heros, qui aliquem ex iſtis ad ſe adduci iubeat, quærens, *cui porrò principi mors iſta impendet? Num potentiſſimo?*

*tiſſimo? At cur nomine non appellas? ſcis enim quis ille ſit. neque alii metuent, ſi hoc dicas articulatè. Nunquid peſſimo? At hic è medio non tollitur à Deo. Immò vitæ huius bonis abundat, ab æternis prohibitus. Ergo bonus morietur princeps? Quamobrem? ut orbitate tanta morteq́; ſui paſtoris & parentis populus peſſumdetur? Præterquam quod ſi bonis minetur Deus, poſſunt ii precibus illum flectere. Placatus autem Deus Cometam ediderit vanum, & ſine ullo euentu erunt prognoſtica. Interim non Regem vnum aut Principem, ſed omnes Heroes, & cum ſuis dominis populos innumerabiles fruſtra Deus Opt. Max. perterrefaciet? Cauſam tu Aruſpex redde. Et ſi cauſam neſcis, cur audes citra omnem rationis vim prædicere quæ ignoras?* Hæc ipſa ſi quis ab Aſtrologo quærat princeps graviſſimus, neſcio quid ſit homo reſponſurus. Hoc tantum ſcio, eiusmodi vates dignos eſſe, qui ſuum ſaltem erratum videant, & palàm recognoſcant.

Iam pergo argumentari de genere Cometarum vniuerſo. Antequam ad vrſam aſcendat Cometa, (quod in vltimo factum eſt) cum ſtellis quotidie occidit. Ergo vbi ſol & cæteræ ſtellæ, dum globum ambiunt elementarem, variis populis variè apparent, vt ſemper oriantur & occidant, nocturnæ diurnæ ſint, matutinæ, veſpertinæ, meridianæ: ita quoque Cometis accidit. Ergo diuerſus habitus & aſpectus, tantaq́; terrarum differentia, & in cœli curſu varietas varias faciunt Cometis vires. Et ſi hoc fit, quæ certa erit præſenſio? quæ minæ vatum iſtorum his aut illis mortalibus? Tamen volunt varios in cœlo poſitus Cometæ, variosq́; ortus, varia diverſaque mala portendere. Cur bone Deus, Mercurii Cometam, exempli cauſa, in occaſu [illegible]piunt,

in

in ortu formidant? Quaſi verò ſit aliquid à Deo inconſideratè factum. Vident Cometam Europæi, & Aſiani hodie: poſt horas octo eundem Antipodes aſpiciunt. Quis mihi verè probat, non illis hoc monſtrum, ſed nobis tantum eſſe? Sunt etiam ibi prudentes & ſapientes homines: ſunt etiam & audaces. Poſſunt & illi de iisdem rebus ambigere, & ne nobis Cometa non oſtentetur, ſuſpicari, & pro certo aſſerere. Iccirco in re tam dubia ſi Dei quis conſiliarius, vates, inquam, verus veniat, hunc equidem audiam & obſeruabo. Si tantùm homo ex noſtro ordine loquatur, & non doceat, ſed euentuum cateruas cogat, vel afferat veterum opiniones, aut ita credendum eſſe mihi concedat: huic ego homini non multa credam.

## PARS QVARTA.

NVNC venio ad malos vates. Atque hoc loco nolim bonos offendi. Contra ineptos hæc omnia ſcribo. Audaces reprehendendi ac deterrendi ſunt. Hi ſunt qui minus rei grauitatem videntes, facilè de natura, vel temerè potius, iudicant. Et cum ipſi indocti ſint, doctos & prudentiores Theologos negligunt, veram ſapientiam rident, vulgus miſerum ſuis clamoribus, cum volunt, abſterrent. De his inquam Theologis loquar. *Cap. I.* *Mali theologi.*

Audivi hoc anno in Boemia quendam, qui, cum differeret de fulgure, poſt ſolis occaſum viſo, vocabat fulgur *Draconem* & *monſtrum*: *Dæmonem authorem* dicebat: *horrendum* aſſeuerabat. Perſuaſit audientibus, me præſente; fæminæ metuebant. O multitudinis deplo-

Digitized by Google

deplorandam ſortem! Etiam fulgura, quæ naturaliter fiunt, quæ per æſtum gignuntur, quæ in Italia multis menſibus & ſereno veſpertina micant, portenta ſunt? à Diabolo ſunt? Sed Peucerus etiam *imbres ab iſto fieri* putat. Quo minus miror, ſi homines imperiti, cum imperitis agentes, abſurdiſſima quæq; effutiant. Iam ſi minax Cometa, vbi Dei clementia? Pater eſt noſter, & mitis, & clemens redemptor credentium & ſeruator Deus per Chriſtum filium ſuum. Neque impediunt Dei clementiam Angeli, aut orbium agitatores. Neque à natura ſtellarum non intelligente, aut Cometæ, qui hominibus eſt ignotus, vel minæ vel inimica vis vlla eſt. Minatur animus agnoſcens, intelligens, & ſæpe hoſtilis, & ultionis cupidus. Deus optimus eſt, & mundi cum creator, tum gubernator: potens item, & quæ optima ſunt, ea cogitans & præſtans. Cùm igitur neque vis neque voluntas in Deo deſit, quid eſt cauſa quamobrem non fauſtos Cometas edat, & rerum fælicium indices?

Et ſi, vt credo, prouidentia ſua nos tuetur, cur per hæc monſtra nos admonens, deterrens, non certioribus vtitur iræ ſuæ indiciis, non ſignis indubitatis? non ſemper quæ ferunt mala ſignificantibus? Tantine ponderis eſt vulgi pauor, & ſæpe inanis, vt Deum adducat ad Cometas tam operoſos conflandos? Videmus hoc anno præcipuos magiſtros inter ſe differentes, de colore, de forma, de ortu, ac duratione Cometæ. Et, ſi principes obſervatores in ipſis fundamentis errant, quæ certa eſt obſeruatio? Et, ſi prudentes falluntur, quis vim Cometæ cognoſcet?

Cur

Cur igitur Deus, per Cometas minitans, non dat quoque hominibus, doctis ſaltem, veram Cometarum intelligentiam? *Concipiuntur*, aiunt, *in terra fumi, evocantur, terra parturit, aſcendunt, halitus colliguntur, concreſcunt, & raptati flagrant, varia forma inducitur: caput, coma, barba, cauda, iacula, enſes, cornua formantur, varii curſus, varii colores: Hi planetæ vaporem includunt, hi verò euocantur in lucem.* & hæc omnia tantum in eum uſum, ut minacem agnoſcamus Deum? Et non ſatis erunt peccata & ſcelera noſtra quotidiana? non ſatis noſtræ ſimultates, odia, inimicitiæ, iniuriæ, perfidia, doli, ad irritandum in nos & inflammandum Deum? Quis hominem agnoſcens non ſtatim ſine vllo Cometa hæreat, & non minas tantùm, ſed plagas acerbiſſimas exſpectet? *Cap. II.*

Et cur Deum volunt Regum & Principum obitus præmonſtrare? Mors bonos & iuſtos è cuſtodia corporis liberat, malos autem arcet à ſcelere perpetrando: optanda mors vtrique, cum iuſto, tum iniuſto. Neque ullum hominem obire mortem eſt mirum. Sed veriſimilius eſt prodigiis opus eſſe, non ante mortem, ſed ante ortum hominis nequam & ſcelerati (qui ſit, inquam, talis futurus) à quo pernicies non rarò magnorum populorum eſt. Cum enim homo futurus prauus naſcitur, tum periclitatur humanum genus: cum verò improbus obit, tum verò eſt mortalibus maximè gratulandum. Non potentiam, aut opes, aut ſplendorem, nobilitatem, Deus maximè curat. Imò neque ſcientiam, artiumque intelligentiam magni facit. Virtutem veram, honeſti ſtudium, probitatem & innocentiam Deus amat & fouet. Quare Dei cura *Cap. III.*

eſt bonorum priorumque animorum ſalus, atque beatitas.

Iam ſileant inepti, neque abſurda in medium afferant, & quæ pugnent contra noſtræ religionis prima fundamenta. Nam ſi chariſſima fuit (ut ſcimus) Deo Hebræorum gens, cur illam his Cometarum prodigiis ac terroribus non in officio continebat? Vbi Salomonis & Moſis eſt ſapientia? Vna eſt natura rerum, vna Dei potentia & Maieſtas, una ſemper in ſuos charitas. Tamen Hebræi non curarunt Cometas: & rectè id quidem, quia quanquam à Deo hi ſunt, non tamen portenta ſunt: ſed vel ex natura elementari, ut fulmen, vel ætherea, nec nobis adhuc perſpecta, ut ſtellæ.

*Cap.* IV. Et non ſunt Cometæ neceſſarii ad prodigii vim. Quod enim eſt maius miraculum, quàm homo ab inferis excitatus? Tamen ait Chriſtus, non opus eſſe ut mortui ſuſcitentur. *Habent*, ait, *Moſem & prophetas.* Quid enim præterea volumus? omnia mala, omnes calamitates, non ſingulis tantum, ſed ſimul cunctis mortalibus imminere ſcimus. Africanus, Marius, Pompeius, Cæſar, Cicero, Brutus, exitu ſuo vincunt, nihil certi, nihil firmi præter virtutem ac pietatem eſſe ſub ſole. Prophetæ ſemper vociferantur. Chriſtus omnia tradit. *Quorſum*, inquit, *volunt miracula? Neq; rediuiui ſunt illis neceſſarii.* Minimè igitur è Cometa prodigium, quia non eſt neceſſarius ad hunc uſum.

Dicent, immò ſunt qui dixerint mihi, *pendulum hæſiſſe igneum enſem ſuper Hieroſolyma: idq; per annum ante urbis excidium.* Hæſit igneus iſte enſis. *ergo*, dicunt, *Cometæ ſunt Dei prodigia.* Ecquis negat miracula? quis audeat attingere Dei arcana? Imò, quia Dei opera mira-

miracula ſunt, & numinis voluntas abſtruſa, idcirco quænam ſint iſta miracula, iam diu neſcimus. quæſtio autem præſens eſt de Cometa. Hoc ipſum phaſma in miraculis non eſſe habendum, non ſolum Peripatetici, ſed etiam Aſtrologi aliqui fatentur, quippe qui huic ſpeciei cauſſas naturales attribuant. Equidem ſcio, à Deo eſſe Cometam, qui tamen miraculum non ſit. Sed eſſe iſtum dico rem naturalem, cuius tamen veræ cauſſæ hactenus ignorentur. Et, ut ad gladium redeam, credo extitiſſe: ergo fuit Cometa? Non dabo. Nam quia imminebat & hærebat, maximè per annum, ea re dico Cometam illum non fuiſſe, ſed à Deo miraculum ſingulare.

Et ſunt qui dicant, *Erunt ſigna in ſole ac luna.* Vix *Cap. V.* non rideo, Dudithi, cùm audio voces iſtas à vero tam alienas. Erunt ſigna in ſole ac luna; ergo hæc ſigna Cometæ erunt? ergo ſummus aer vel cœlum, ubi eſt Cometa, ſol eſt atque luna: ergo ſi fient in ſole ac luna hæc ſigna, Cometa infauſtus erit? Signa fore fateor, minimè nego, & porrò credo. Sed pernego, hæc ipſa ſigna eſſe Cometas. Quæ Chriſtus prædixit, ſine dubio futura ſunt: quo verò tempore, ſolus Deus id nouit.

Osleuius, filii tui optimæ indolis Magiſter, quærit hunc in modum acutè ac piè: *Si Chriſtus, famem, terræ motus, peſtem præceſſura dixit Hieroſolymæ vaſtationem, cur dicam non oſtenta, non ſigna hæc eſſe?* Ad quæ reſpondeo, in phyſica diſputatione parum apta eſſe illa, quæ colliguntur ex libris diuinis: Credenda illa eſſe, non diſputanda. Et cum artes aduerſa habent principia, non eſſe ullo modo eas confundendas. Ego definiui, fortaſſe non

inſulsè, portentum, id *quod per ſe nec bonum, nec malum eſt, neque mali effectus cauſſa princeps, ſed ſolum ſignum damni futuri.* ſunt enim ſigna iræ in homine toruus aſpectus, inflatæ buccæ, ſpiritus vehemens. Plagas hæc omnia minantur, ſed plagæ non ſunt, aut ferula, nec manus. Quo fit, ut qui dicit *humani generis dolores, morbos, ærumnas eſſe oſtenta, & iræ diuinæ nuncios,* is perinde fallitur, ac ſi dicat *ictus & plagas eſſe iræ noſtræ indicia præcedentia.* Ergo fames, peſtis, bellum oſtenta non ſunt: plagæ ſunt enim, & vexationes ingentes. Vulnus enim non portendit iram, ſed ipſa ſunt effecta iræ, cuius indicia timenda non ſunt, ipſi dolores in præſentia nos affligentes.

At enim *ſigna dicuntur à Dei filio.* ſcio dicta. Neq; illa dubito fuiſſe. Quare dico, Chriſtum non propriè (neq; enim Grammaticè, aut philoſophicè loquebatur) *ſigni* vim accepiſſe. Mitto illud, me de generali portento diſſerere, phyſicoq; modo ac ſenſu: tu autem, Osleui, ad ipſos Theologos confugis, qui vna obiecta fide mihi os obſtruunt, & manus & pedes colligant. Et cum de vniuerſo genere portentorum & Cometarum ago, tu de certis & ſingularibus monſtris contendis. Singularia hæc tua ſunt, mi amantiſſime frater, quæ ab vno Chriſto habemus: qui ea omnia non ſolùm præfari, ſed efficere quoq;, ſine natura, atq; adeò invita eadem, facilè poteſt.

Nec bene colligis: *viri magni hoc idem putant: & non modò famem, peſtem ac terræ motum, ante Iudæorum vrbem fuiſſe, verum etiam fore ante univerſi excidium ac diſſolutionẽ.* Quid enim aliud facis, Osleui, quam opiniones hominũ adducis? Naturam autem noſtra opinio non tollit. Et, ſi dedero, *aliquam peſtem fuiſſe ac fore ſignum;* tu

tu colliges, *omnem?* Imò contrà res habet; quia oſtenta illa ſingularia ſunt, non poſſe de genere vniuerſo concludi. *Et videtur,* ais, *Deus etiam poſt urbis excidium terrere homines his oſtentis, propter futurum judicium.* Ego verò: Videtur potius Deus nolle fruſtra terreri homines, nimis etiam per ſe terrefactos. Etenim terriculamentorum ſatis mihi ſuperque eſſe videtur. Quod ſi hæ voces, *Crediderim, videtur, veriſimile eſt, pietas poſcit, Chriſtianum & ſalutare eſt,* in medium ſæpè afferantur, iam perierit omnis natura, neque artibus, neque ſcientiis, neque Philoſophiæ ſcientiarum omnium parenti, locus relinquetur ullus. Omnia ad miraculum, omnia ad numinis omnipotentiam, omnia ad fidei vim diuinam referentur. Quo fiet, ut ratio, iudicium, argumentum, humanitas demum omnis, corruat & exſtinguatur.

*Quid igitur? Cometas rides?* Non rideo: nihil ſanè minus. Imo, quia Cometæ naturam ignoro, hunc ipſum negligere nequeo. Fulmen ſæpè audimus, ac ſine fulmine tonitru: tamen horrendum fragorem admiror. Et fulgur ſine vllo vel fulmine vel tonitru video; tamen coruſcam lucem neque rideo, neque negligo. miracula verò hæc eſſe, nunquam dicam, quia naturalia ſunt, licet admiratione dignisſima. Et herbulam in pratis videns, non rarò ſubſiſto, admirans & naturæ ſolertiam, & Dei maieſtatem cum animo meo reputans. In ejuſmodi portentis & miraculis dicam eſſe crinitum ſydus: hoc inquam ſenſu, quia neſcio ex qua materia, in quo loco, à quibus cauſis fiat, foueatur, & fulgeat. Sed vim illam portenti, citrá omnem naturæ vim, hactenus in Cometa non video. Vtinam ſit, qui me doceat, animo cum beneuolo, tum ſapienti! Cap. VI.

## PARS QVINTA.

Cap. I.

QVare, Dudithi, cum ſatis multa de Cometa in vniuerſum, nonnihil autem de ultimo dixerim: reliquum eſt, ut de hoc uno poſtremo quæ reſtant, abſoluam. Non ignoramus, annum præcedentem fuiſſe moderatum, & frigora potius, quam vapores aut æſtus, Cometam præceſsiſſe. Vina enim acerba fuerunt. Quare autumnus neque æſtuoſus, neque ad exhalationes fuit idoneus. Aquilones autem, qui ante Cometam ſpirarunt, & eundem comitati ſunt, neque calorem ullum, neque ſiccitatem aut fumum aut vaporem nobis attulerunt: frumentorum & fructuum omnium copia fuit; id quod à cœli inclementia fieri nequit. Et ad quadriennium abundantia iſta Dei bonitate perdurat. Duplex autem æquinoctii lunæ defectus aerem frigidum potius, quàm feruidum reddidit. Vti enim luminis vigor calorem, ita eius paucitas & remiſsio frigus creat. Atque hoc anno neque æſtus neque ſiccitates, neque incendia, ut penè omnes clamant, ſed frigora fuerunt inſignia. Altæ niues, æſtas minimè urens, Martius non ventoſus, imò tranquillus: & ipſo Aprili menſe in Italia ninxit, vel ſaltem pruina decidit in Mediolanenſi. Aeſtas autem pluuia fuit: cum leo & canis imbres nobis nimis magnos attulerint. In ſumma dum vaticinatur Peucerus *uſtulatum iri corpora noſtra*, video illa algere, & pro bellis, terræ motibus ac peſte, ſanitatem, pacem ac terræ quietem penè omnibus locis (non enim ubique dicam) fuiſſe; ut mirari ſanè liceat, aduerſarios noſtros non pænitere ſuarum opinionum. Præſente enim ita magno Cometa, illoque deſinente, toto hoc anno, nullas

*Anni habitus ante Cometam.*

las tempeſtates minimas, nulli venti validiores, nulla ſiccitas, nullus ardor, non terræ motus, non bellum nouum, non peſtis fuit. Et potius (ut vident omnes) omnia mitiora acciderunt. Reges confirmati, non mortui Monarchæ. & peſtem potius comparente Cometa ſublatam vidimus in Hungaris, in Longobardis. Et ſi alicubi con- *Extincta* tagium ſit, quantum hoc exiſtimandum eſt ad vniuerſi *peſtis.* calamitatem? ecquando accidit, ut non eſſet alicubi peſtis? & non peſtis tantum, ſed omnes tum corporis tum animi morbi? Si viderem, non frequentem eſſe in Germania peſtem, & in Sarmatia: tum verò mirarer, tum prodigium eſſe exclamarem. Nam nihil eſt, quod ma- *Peſtis* gis peſtem accerſat, quam aeris ipſa corruptio. Germa- *cauſa.* ni verò ſæpius habent concluſum aerem. Hypocauſta non ferunt perflata: Nam claudunt nimis diligenter oſtia, & vitreas illas feneſtras occluſas habent: putreſcit igitur aer, quo putrefacto peſtis gignitur & fouetur. Scio tamen fore, ſi hoc anno peſte aliquis angulus vexetur, mox clamaturos, *à Cometa eſſe, portenti eventus apparere.* Perinde ac ſi nulla ſint peſtilentiæ ſemina in Longobardis & Hungaris. Et magnum ſit, ad finitimas terras luem contagio tranſire, Plinio maxime docente *peſtilen-* *Plinius* *tia vim in occaſum ſæpe procedere.* Nec minus in foro *de peſte.* ſaltabunt, ſi ſenſerint ſub cane dies æſtuoſos, aut pluuias *Canicul-* repentinas, & eas cum aliqua violenta tempeſtate. Quis *vis.* abſque vaporibus Iulium & Auguſtum menſes vidit? Quis iſtam anni partem ſine fulgure, ſine fulmine, vel ſaltem ſine ventorum rabie cognouit, cum ſequatur ſemper contentio cadente imbre, ſi aer ſit æſtuoſus?

Raimundus Vennenſis de ultimo Cometa ſcripſit. *Vennen-* Quid ſit delirare neſcio, ſi hæc ratio ſcribendi delirium *ſis deſi-*
non *piens.*

non ſit. Initio totus geſtit, gentibus vniuerſis gratulatur: *fauſtum Cometam & felicem fore* aſſeuerat. *Sibiq́; propitium futurum* ſcribit *ob natale ſuum ſignum Cometæ commune.* Cum autem ſit in laudibus crinitæ totus, repentè labitur ad vituperium, varia & magna genera morborum numerat, & maximè tabidas febres, & aquam intercutem. Et vult *eundem Cometam caloris, frigoris, humoris, ſiccitatis, aquæ ac ignis nimii fore authorem.* Quid hoc monſtri eſt? Quæ ibi rerum inuentio? Quæ diſponendi ratio? Quæ methodus, vel narrandi, vel differendi? Miror, in tanta vrbe, cum qua neſcio an ulla alia ſub cœlo certet, vbi tantus eſt prudentum ac ſapientum Heroum numerus, res tam leues excudi poſſe.

*Cap. II. Epilogus.* Sed vela iam contrahenda. Satis multa ſcripſi, neceſſaria tamen, vtinam bonis grata! Facere ſaltem non potui, Dudithi, quin tibi obtemperarem. Et non inuita Minerva ſum hæc meditatus. Nimis enim eſt noſtra in rebus multis credulitas. Nimiaque contra nonnullorum audacia. Quare, ut potui, contumeliis omnibus abſtinendo Cometarios iſtos refutaui. Fundamenta & rationes oppugnaui. Neque ſignum neque cauſam dolorum aut ærumnarum eſſe crinitam, probare volui. Reliquum eſt, vt finem faciam, iudicia illorum ſequens,

*Iudicia ſapientum de Cometa.* qui non modò ſapientes, ſed ſapientum Doctores & habentur & ſunt. Nam de Cometæ maleficiis, aut beneficiis, nihil Hippocrates, Plato, Ariſtoteles, nihil Alexander, nihil Galenus, nihil Cicero. Contra huius generis nugas diſputarunt Ficinus, Politianus, Picus, & hac noſtra ætate Scaliger, & Eraſtus, Philoſophi apprimè magni. Quis poſthàc dubitabit, & horum hominum authoritatem videns, doctrinamque expendens,

Aſtro-

Aſtrologorum ( prudentum honorem inuiolatum ſeruo ) iudicia non ridenda dicet?

Quanquam autem à Cometa nulla eſt noxa; tamen poſt Cometam aliqua poſſunt fieri, quæ timeant iſti & prædicant. Vulgus enim vbique vulgus, incertum, ignauum, vecors. Facilè timet, uti facilè ſperat. Quid frequentius aut minus horrendum lunæ defectibus? legunt prædici. Picturas quotannis emunt futurarum defectionum & lunæ & Solis. Tamen cum iſta in cœlo vident, iam iam ruiturum cœlum putant: laborare certè rerum uniuerſitatem, non pauci opinantur. Quod ſi Cometa exiſtat, omnia pauoris plena. Conſulunt Mathematicos: Aſtrologus Aſtrologiam laudat: Credunt ſimplices aſtuto aſſeueranti. Futura verò cum ſint incerta, incertum animum huc illuc agunt. Accedunt ficti Sacerdotes. Ad imperitiam aſtus & numinis contemptus additus, omnia perturbat. Omnipotentiam Dei obiiciunt. Miracula obtrudunt. Philoſophiam proſcindunt: plebeculam formidandis vocibus terrent. Qui credunt, qui multi ſunt, animo ſuſpenſo hærent. Animos hominum ſuſpectos habent. Et fidei vix ulla fides. Ne ſimultas in odium apertum erumpat, metuunt. Belli ſuſpiciones bellorum faciunt rumores. Nulla cauſſa timendi certa, metuunt multi. Coniurationes, inſidiæ, excurſiones imminere videntur. Pauor gignit credulitatem: & à vulgo ad Nobiles (niſi prudentia ſumma obſtet) formido ſerpit. *Populi voces, Dei voces eſſe* aiunt. *Occurrendum* aſſerunt *initiis*. Muniuntur fines, firmantur præſidia. Iam ſunt belli occaſiones. Hoc viſo mercator, & auarus obſtruit horrea. Ecce caritas, & inde fames, & morbi pernicioſi. Et, ſi prælia ſint, quid non mali creatur?

*Occupatio grauis.*

*Vulgus.*

*Sacerdos malus.*

*Suſpicio.*

*Pauor.*

*Calamitates poſt Cometam, non à Cometa.*

R ſunt

ſunt halitus praui cadaueribus inſepultis. Inde feriſsimi ac immanes lupi, prius in defunctos vita, poſtea in viuos homines. Ex quibus intelligere eſt, non ab ipſo Cometa, ſed humani ingenii tarditate, ac nonnullorum prauitate, rerum etiam naturalium, ac diuinarum ignoratione, peſtes multas poſt Cometam fieri poſſe, quæ à Cometa minimè ſint.

Iam quia nobis objiciunt, *Regum quatuor cædem in prælio ad mare Atlanticum factam*, videndum eſt, Dudithi, quantum ſit pondus in dictis obſeruatorum. Luſitanus trucidatus: magnus Rex: nemo negarit. Ergo magna calamitas? Ergo id fecit Cometa? Videor ſanè, cum hæc audio, pueros vel ancillas garrientes audire. Quid enim? in bello cædes fieri miraris? Quid bellum, niſi ad perniciem apparatus? Clades, cruoris effuſio, ſtrages, fructus proprii ſunt bellorum & pugnæ. Carnificina enim humani generis bellum. Et, cum ſcias in macello beſtias mactari, concidi; ſi videris ouem ſemel iugulari, monſtrum te vidiſſe clamas? Nullus eſt annus, in quo prælia non multos perimant; & quæ non præceſsit Cometa, ea nos minimè mouent: cum is fulſit, mox quicquid accidit, à portento, à ſtellis, à falcifero Saturno, à furibundo Marte profectum dicimus?

In prælio ad Ambracium ſinum anno, ut dixi, abhinc 7. quinquaginta millia partim trucidata, partim in mari demerſa. Peſte eodem anno ſupra 30 millia intercepta ſunt: præfecti in Cypro inſula, & utraque claſſe 8. vel 10. Principibus multis nobiliores, ditiores, cæſi, excarnificati ſunt: nullus tamen Cometa prænuncius. Quid vetera? Romanos illos patritios, Regum patronos, & Senatores, orbis terrarum cuſtodes, & conſulares viros, humani generis fulgentiſsima lumina, nónne

una tantùm proſcriptione ad 200. & 300. legimus abſque Cometa exſtinctos? Vetera ſileamus, noviſsima conſideremus. In prælio militem cœdi, nec mirum eſt, & maximè frequens, & verò neceſſarium. Et reges ibi perimi, cum interſint, cum ſtent in acie, quis miretur? Mirarer, ſi domi ſedentes in acie perirent: prodierunt volentes; eare fortiter oppetiuerunt. Sed rebus pacatis, in ocio ſummo, in ſumma rerum omnium tranquillitate, ex improviſo inuadi, captiuos fieri, Scytharum crudeli manu corripi mortales, eoſdemque ludentes, nocte concubia dormientes, conuiuia, nuptias, & ſacra celebrantes, à diriſsimo Scytha vinciri, catenatos ad ſeruitutem horrendam, ad quotidiana tormenta, plures 200. millibus rapi: adhæc ſtuprari virgines, violari viduas, pueroſque infantes (ô rem cogitatione ipſa formidandam!) ad parietes allidi, ferro confodi, ſenes venerandos turmarum pedibus detritos confici, matronas caſtiſsimas catenatas & nudas trahi; multos etiam in propriis domibus incendio conſumi: omnia ubique vaſtari, cruore, cædibus & ſceleribus inquinari, hoc, hoc dolendum, hoc verè ingemiſcendum eſt. Hæc omnia ſine vllo Cometa in Polonico regno vidimus accidiſſe.

*Deploranda calamitas.*

Mors ipſa eſt vitæ exitus naturalis. Naturæ à cunctis perſoluendum eſt. Ære noſtro liberamur, cum vitam finimus. Sed Regnorum direptiones, agrorum depopulationes, orbitas, mendicitas, ergaſtula, perpetuæ catenæ, contumeliæ, verbera, narium, auricularum amputationes, pudicitiæ ſacroſanctæ iactura: hæc verè mala ſunt, hæc horribilia, miſeranda, & cunctis hominibus formidanda. Rex moritur: quid mali? Num filii aut hæredes mendici? Semper opulenti, ſemper beati. Non diu flet hæres: multi ſunt in funere atrati,

*Regis obitus.*

ſed quam pauci lachrymantes, & ferè omnes habitu ſordidati, ridentes in animo, procedunt. Hæres lætior fit: ad regnum enim optatiſſimum accedit, ad gubernacula populorum tenenda manum adhibet. Eodem ipſo anno nuptiæ regiæ, noui ludi ſpectacula. Plauſibus omnes regni anguli reſonant. Sed in Scytharum immanium rapinis ac prædis, bone DEus, quantus quamue longus luctus! quantæ quamue diuturnæ orbitates! Sidera ipſa, medius fidius, obſcurari & latitare videntur, ne tantas hominum cernant calamitates.

Quid autem de peſte trium annorum dicam? nullo prius viſo Cometa in Italia (Germanos & Hungaros mitto) ad 400. millia mortalium ſublata ſunt. Quot venerandi Theologi: quot viri ſapientes? quot fortiſſimi Senatores, quorum ſingulos cum Regibus conferas, (Deus enim potentiæ ſummæ virtutem & iuſtitiam anteponit) peſtis contagio ſublati ſunt? Cometa nullus arſit, & tamen tanti populi deflagrarunt? Et ii tamen obſtinati cometomantes 30. millia cum quadringentis millibus; & barbaros tres reges, cum tanto ſapientum numero conferre audent? At *Chriſtianus Rex cæſus.* quot putas Regios filios alibi natos? quot ad regnum idoneos, licet nunquam Reges futuros? Quare ſileant iam, ſi velint, aduerſarii pertinaces, neque ſpeciem nobis fletus objiciant, niſi velint ſibi à nobis noſtras horrendas & luctuoſas calamitates maximo cum omnium dolore memorari.

## CONCLVSIO EXTREMA.

*Cap. IV.*

QVÆ cum ita eſſe videamus, explodatur iam cum aliis Divinorum nugis (nugas enim, & corruptelas artis, non artem rejicio) hæc ipſa de Cometis præſenſio. Neque Deo prouidentiam ſuam, liberumque, nobis

*Concluſio ultima.*

nobis tamen abſtruſum, conſilium temerè exploremus. Neque ſuas naturæ vires ac fructus, non rarò abditos, iniquè eripiamus. Neque cum aperta religionis noſtræ veritate obſtinatè pugnemus. Nunquam (ut me monuit Guliotta ſocer meus) ſanctiſſimi vates à ſignis cœli ſuas comminationes acceperunt. Nunquam de Cometis verba fecerunt. Illæ erant veræ minandi ac vociferandi cauſſæ, quæ ſemper & ubique ſunt, & magnæ & formidandæ, *peccata, ſcelera, libidines noſtra.* Addebant *Dei iuſtitiam*; non Eclipſim, non crinitas, aut enſes, aut cornu igneum obſtentabat. Hæc ipſa quæ illi ſeruarunt, ſi nos obſeruemus, næ non erit comete opus, ut iratum timeamus Deum: & uti non minas tantum, ſed plagas acerbiſſimas expectemus. *Veri vates.* *Timoris vera cauſa.*

Quare nugis Mathematicorum cauendis, & ſuperſtitione vulgi tollenda, non religio læditur, ut aliqui murmurant, non Epicurus fouetur inſanus. Cum potius neque in Deum pietas, neque in homines charitas iuſtitiaq; ylla teneri poſſit, niſi præſtigiis iſtis omnibus palam detectis. Inſtat enim paſſim pars iſta mendax Aſtrologiæ, quæ omnes noſtræ vitæ partes perturbat, & ſollicitudinis plenas reddit. Aſtrologus *de itinere ineundo,* Aſtrologus *de nauigatione,* idem *de nuptiis, & ſobole* dat præcepta. Nullum eſt negotium, cui non præſit Aſtrologus. Et *de aluo purganda* pronunciat iſte decreta ſua, ut ſuprà dixi. *Religionis confirmanda via.* *Aſtrologi audaces.*

Sed ne homines inepti me ſua inſulſitate infatuent, finem faciam ſcribendi, ſi te prius obſecraro, Patrone, ut ea quæ ſcripſi ita expendas, ita iudicio illo tuo ſingulari examines, ut ipſe quoque res tuas cupis à tuis amicis & clientibus liberè, amicè, moroſius etiam, conſiderari. Vale. Datum Paſcouii, anno ſalutis 1578. *Correctio.*

# DE
# SIGNIFICATV
# COMETARVM
*EXCERPTA*

E SCRIPTIS

DOCTORVM ALIQVOT VIRORVM.

## *IVLIVS CÆSAR SCALIGER*

# Exercitationum Exotericarum de Subtilitate ad Hieron. Cardanum, anno cIↄ Iↄ LVII. editarum, LXXIX, ſectione II:

Quod vero præterea quæritur, *Cometæ ſignane ſint, an cauſſæ*; neutrum cenſeo. Etenim exiſtimare, a Cometa regem interfici, ridiculæ dementiæ eſt. Tanto minus euerti prouinciam. Sed ne quidem ſigna ſunt; vt fumus ignis. Verum ſicut aliquis affectus eſt alterius ſignũ propter cohærentiam: veluti ſignum, quod Gallina peperit, cantus. Nam Gallina utriusque, & partus, & cantus, auctor eſt. Neutrum vero ab altero pendet neceſſario. Multi itaque ſunt a nobis cometæ viſi; quos nulla usquam tota in Europa ſubſequuta eſt pernicies mortalium. Et multi clariſſimi viri ſuo fato functi ſunt: multi euerſi Principatus, peſſum datæ familiæ illuſtriſſimæ, ſine vllo Cometæ indicio. Non enim verum eſſe, quod aiebas, ſiccitate ſemper concreari, ſupra ex hiſtoria demonſtratum eſt. Nam etiam in hyeme, atque ſub ſeptentrione Cometæ generantur. Quamobrem iocari te putabam, cum *mori Principes ſiccis temporibus*, ſcriberes: nempe cibis odoratis & curis confectos, atque vigiliis. Remiges vero, & fabros, & vitrarios, & meſſores, allio, bulbis, cepullis, vlpicis, ſale, vino, pipere differctos, diſtentos, non mori: id vero inprimis eſt admiratione dignum.

BENEDICTVS PERERIVS Valentinus Soc. Jeſu Theologus Romanus libro II. Commentariorum & Diſputationum in Geneſin, ſectione XCVI:

DIces, Cometas, qui in ſublimi aere generantur, ſigna eſſe, quæ inſignes admodum caſus futuros portendant, quorum tamen Cometæ nec cauſſæ ſint, nec effectus. At ego, Cometas certa ſigna humanorum caſuum & euentuum nunquam concedam; licet hoc tam vulgo perſuaſum ſit, quam eſt à ſapientibus improbatum.

E SIMONIS GRYNÆI, Medici & Mathematici Heidelbergenſis, libro de natura & ſignificationibus Cometarum.

*De fine & Cometarum ſignificatione,*
*Caput XIV.*

FInis cauſarum omnium potiſſima, in Phyſiologia id dicitur, cuius gratia aliquid fit. Hic cum à forma reſpectu tantùm quodam differat, non niſi ex forma rei, cuius finis eſt, recte & accuratè cognoſci poterit. De fine ergo crinitorum ſyderũ vel Cometarum, verè & ſolidè nihil pronunciabimus, niſi ex ipſis formæ proprietatibus. At formam Cometarum nihil aliud eſſe, quam ignem accenſum, ſeu flammam, in tali compactione, &c. iam demonſtrauimus. Ergo finis, cuius gratia ab eſſentia formæ, quæ flamma aut ignis ardens eſt, deducendus erit. Natura ignis aut flammæ eſt caliditas & ſiccitas. Primùm igitur dicimus, caliditatem & ſiccitatem Cometis per ſe ineſſe, tanquam conſectaria & effectus ſuæ formæ. Quid ergo aliud arbitrabimur Cometas efficere poſſe

poſſe in his inferioribus? quem effectum particularem, in particulari ſubjecto, præter iam dictos, in natura, à Cometis metuemus, vel ſperabimus? Sanè præter calorem & ſiccitatem, &, quæ iſta proximè conſequuntur, in aëre commotiones, & procellas ventorum, nihil. Proinde ſapientiſsimus Philoſophus & naturæ rerum ſcrutator ſagaciſsimus, Ariſtoteles, non ſine graui ratione, Cometarum flagrationis effectum duplicem ex ipſa Cometarum forma inuenit & probauit: æſtum & ſiccitatem, ventorum inuſitatas procellas, caloris & ſiccitatis in aerem impreſſæ indiuiduos propè comites. Quare prognoſticon poſt apparitionem Cometæ ab ipſo conſpecti hoc ponit: ὅταν μὲν οὖν πυκνοὶ καὶ πλείους φαίνωνται, ξηροὶ καὶ πνευματώδεις γίγνονται οἱ ἐνιαυτοί. ὅταν δὲ σπανιώτεροι καὶ ἀμαυρότεροι τὸ μέγεθος, ὁμοίως μὲν οὐ γίνεται τὸ τοιοῦτον· οὐ μὴν ἀλλ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίγνεταί τις ὑπερβολὴ πνεύματος, ἢ κατὰ χρόνον ἢ κατὰ μέγεθος. *Cum Cometæ plures*, inquit, *& crebri apparuerint, ſicca, calida, ventiſq; obnoxia erunt anni tempora:* (conſumit enim flamma humidum attenuando & reſoluendo aerem.) *Quod ſi rarius fient, neq; magni fuerint Cometæ; non quidem omnia æquè fient,* id eſt, neque tàm vehementes æſtus & ſiccitates fient, ut ſuperius diximus: *nihilominus tamen ſæuiet vis venti ſæpiſsimè, ſiue ſecundum tempus anni certum, ſiue ſecundum magnitudinem.* (duplicem ventorũ magnitudinem oſtendendens, unam ob diuturnitatem: alteram ob vehementiam. Cujus prognoſtici veritatem experientia, & exemplis manifeſtis confirmat, projecti ſcil. vi venti, lapidis maximi Cujuſmodi lapidem proiectum vi ventorum fuiſſe, anno domini 1420. juxta oppidum Enshemium Sungouiæ, 4. miliaribus à Baſilea diſsito loco. Item portentoſæ tempeſtatis in mari viſæ à procellis ventorũ excitatæ, tempore Nicomachi Athenienſiũ Principis. Summa eſt, Cometas ſequi, ut cauſam, effectus hos tantum,

S quos

quos diximus ab ipſorum forma dependere, æſtum & ſiccitatem, cum ventorum æſtuatione & procellis inuſitatis. Quod ſi memoria recolamus κατάςασιν ſuperiorum annorum, quibus Cometæ viſi ſunt, animadvertemus perpetuò hæc conſequuta fuiſſe Cometas, quæ modò diximus. Nam apparitiones Cometarum anno 31. 32. 54. & 58. hæc conſequuta eſſe, memoria noſtra, & patrum, & Hiſtoriæ euidenter docent. Quin imò fertiles admodum fuiſſe annos iſtos comperimus, & propè totos ſerenos: ut mirari ſatis nequeam quorundam inſcitiam & temeritatem, qui ſterilitatem ex Cometarum apparitione prædicere non verentur. Verum hæc, ut & alia qui tetra, calamitoſa, non hominibus ſolùm & beſtiis, ſed uniuerſæ naturæ, præſagire ex Cometis audent (cujusmodi ſunt peſtis, fames, ſeditiones, tumultus, ſubuerſiones Rerumpub. Regnorum vaſtationes, civitatum euerſiones, populorum & nationum excidia, principum & regum aut magnatum mortes, prælia, inundationes & diluvia, & ſexcenta alia:) iam deinceps conſideremus, & quantum ponderis habeant, inquiramus.

## Vtrum Cometæ tetri aliquid ſignificent, præter effectus ſuprà recitatos? & num prodigia rectè dicantur?

### *Caput XV.*

QVi tetros effectus Cometarum fulſiones conſequi autumant, ii Cometas inter τέρατα ἢ θαύματα retulerunt, quandoquidem noua & admirabilia in natura, & quæ non perpetuò conſpici animaduertiſſent, hæc non minus, quàm prodigia, futuros in natura, aut rebus humanis, euentus præſignificare putauerunt. Dubitatum ergo fuit inter doctos illos priſcos, utrum Cometæ inter prodi-

digia & miracula ſint recenſendi? & an aliquis eventus, extra Phyſicos effectus, poſt ſe relinquant, nec ne. Quod ad priorem quæſtionē attinet, non fuit adeò grauis inter probatiores auctores diſceptatio; cum plerīq; omnes inter portenta atq; oſtenta ponerent. Quod ipſum nos quoq; facilè concedimus, ſi portenta rectè diſtinguantur. Quod verò ad alteram attinet, qua de Cometarum ſignificatione agitur, hic non variant modò ſententiæ auctorum grauiſsimorum, ſed δὶς διὰ πασῶν inter ſe pugnant. De utraque quæſtione quid ſentiam, oſtendam; ſi prius, quid portenta, prodigia & oſtenta ſint, expoſuero. Prodigium, portentum, & oſtentum Græci vno vocabulo τέρας vocant: qua voce *prodigia* à prodicio: *portenta* à portendere, ſeu præmonſtrare: *oſtenta* ab oſtendendo: *Miracula* ab admirando: *Monſtra* à monſtrando, dixere. Quod videlicet omnia porrò aliquid dicant, aut prænuncient futurum, idque contra naturæ ordinem & curſum. Verum nos hic inter miracula, monſtra, prodigia, portenta & τέρας diſcrimen ſtatuendum exiſtimamus. Quippe θαῦμα ſiue *miraculum* omne id ſignificat, quod admirationem adferre poteſt homini, & quod quaſi diuinam cauſam habet, vel quodammodo ſupernaturalem: qualia ſunt creatio mundi ex nihilo, conſervatio eiuſdem, mortuorum excitatio; claudorum, ſurdorum, cœcorum ſanatio; quæ à ſuprema potentia tantum pendent, nec in vllius creaturæ poſita ſunt poteſtate. Miracula alterius generis ſunt, quæ artificioſa appellare licet, ab hominum induſtria profecta: qualia ſunt, quæ commemorantur ſeptem orbis miracula, Dianæ Epheſinæ templum, Mauſoleum Arthemiſiæ, Coloſſus Solis apud Rhodum, &c. quæ arte & induſtria humana ſingulari facta, in admirationem hominum venêre. *Monſtra*

verò ſunt errata naturæ, ἢ παρεκβάσεις, excurſus, & quaſi πάρεργα τῆς φύσεως. Cum præter ordinem naturæ, quæ generantur, formam alienam habent, aut aliàs multimembra generantur. Prioris generis ſunt, cum homo capite ouillo, agnus capite vitulino, &c. in lucem editus eſt. Alterius, cum pluribus aut etiam paucioribus, quàm par eſt, membris, vt capitibus, brachiis, manibus, digitis, pedibus, generantur. Qualia noſtro & ſuperiore ſæculo multa per Germaniam, Galliam, Italiam & Belgium nata, meminimus. Quorum duo cumprimis memorabilia in Italia hoc ipſo anno in lucem prodiiſſe ſcimus. Ergo monſtrum appellatur partus naturæ imperfectus, & ejuſdem ſpeciei indiuiduis diſsimilis, ſiue abundet, ſiue deficiat numero, ſiue ſpecies mutata videatur. Eadem enim omniũ cauſa eſt. καὶ γὰρ τέρας ἀναπηρία τις, oblæſio ſeu mutilatio eſt. Et τὸ ἐκλείπειν ἢ προσεῖναι τι, τερατῶδες. ἔστι γὰρ τὸ τέρας τῶν ἀνομοίων παρὰ φύσιν. παρὰ φύσιν δὲ οὐ πᾶσαν, ἀλλὰ τὴν ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Monſtrum igitur res eſt præter naturam, ex eorum genere, quæ ut plurimum fiunt, cum vel ob materiæ defectum mancum generatur, vel abundantiam πολυμερὴς. τὴν μορφὴν oritur: vel cum vicium in forma & figura accidit. Cujusmodi fuit monſtrum in Tyberi repertum capite aſinino, pectore & ventre humano &c. Mulier manca brachiis, reliquo corpore integra; & bicipites plures. Differunt monſtra à miraculis, quod monſtra naturæ aberrantis partus ſunt: Miracula verò, neque à natura, neque contra naturam fiunt. Item, quod miracula ſequuntur cauſam efficientem, ſic præſcientem, & volentem iſthæc fieri. Monſtra nulla ſic fiunt. Quod ad horum ſignificationes attinet, vix inuenio à probatioribus quicquam affirmatum. Et quid tandem ſignificent aliud, non video, quàm vel naturæ formantis defectum: vel artificis ſingularem induſtriam. Illud res eſt naturalis;

turalis; hoc artificialis. Si ergo ſignificent aliquid, vel naturale ſignificant, hominem, bouem, gigni debuiſſe integrum, non mutilum, vel πολυμερῆ. Illud verò, quid aliud noret, quam quod ei viſum eſt, qui fecit, aut qui effici curavit? Nullos ergo effectus alios in vita humana, hujusmodi prædicunt. Secundi generis ſunt τέρατα, *prodigia, portenta* & *oſtenta*. Quorum alia ſunt *divina*, alia *naturalia*. Prodigia *diuina* ſunt, quæ ſolius Dei nutu & voluntate fiunt, absque cauſis ſecundis; ut ſolaris curſus inhibitio, umbræ meridianæ retractio, Iordanis diuiſio, & maris fiſsio, ut iter præberet tranſeunti populo Iſraelitico. Viſiones in cœlo exercituum confligentium, Leones, Vrſi, Aquilæ, & id genus aliæ formæ rerum in cœlo apparent; quæ tamen ipſa, talia in cœlo non eſſe, qualia & quomodo eſſe nobis videntur, palàm eſt. *Naturalia* portenta ſunt, quorũ in natura ortus eſt, & quorũ ratio ex naturalibus cauſis reddi poteſt: ut ſunt Parelii, Cometæ, &c. Portenta appellantur τερατώδη, ὅτι γίνεται παρὰ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ τὸ εἰωθός, quia præter ſolitum, & præter ea, quæ magna ex parte proueniunt, accidunt. Quod ſi in priorum numerum collocare Cometas libet: iam conſtat talium præſenſionem nullam eſſe poſſe, quandoquidem à natura non pendent. Si verò ſigna diuina aliquid ſignificantia eſſe, affirmas; utique non multùm diſſentire me cognoſces, modò particulare nihil ſomnies. Verùm de ſignis poſtea. Quod ſi verò poſteriore ſignificatu *prodigium* accipere libet, hic quoque non pugno: niſi quod effectum horum ex cauſis à natura petitis petendum iudico. Ad quæſtionem ergo ſuperiorem reſpondendum arbitror: *Cometas neque miracula, neque monſtra, neque etiam portenta Diuina dici debere*. Quandoquidem & cauſa eorum efficiens, formaque generationis, item ipſorum ratio, ex Phyſiologia explicata eſt.

Etenim partim à toto uniuerſo pendent, ut à cauſa u-niverſali: partim ab elementis, ut à cauſa propiore: à qua etiam duratio & conſumptio eorundem oritur. Nihil ergo hic contra naturæ curſum fit, nihil noui, (etſi rarò gignantur) nihil contra ordinem naturæ contingit. Sed omnia ordine certo fiunt, certis de cauſis incenduntur, & rurſum extinguuntur.

## De Cometarum ſignificatione, an ſigna calamitatum?

*Cap. XVI.*

QVòd ſi ergò Cometæ aliquid ſignificant eorum, quæ ſupra commemorauimus; Bella, peſtem, mortem Principum, &c. nullo certè ſuprà commemoratorum modorum talia ſignificabunt. Sed alio quodam; nempe vel ut ſigna, vel ut cauſæ præcedentes, aut comitantes, aut conſequentes, calamitates quas portendunt. *Signa* verò dicuntur in vniuerſum, quæcunq; aliquid ſignificant. Quicquid igitur aliquid in toto vniuerſo fieri indicat, ση-μεῖον vocatur, & horum alia ſunt *neceſſaria*, τεκμήρια dicta, quibus præſentibus, quæ ipſa denotant, & plurimum fiunt, aut iam facta ſunt & exiſtunt. Hæc medicis διαγνωστικά dicuntur, & demonſtratiua ſunt: ut lac habere, ſignum eſt peperiſſe fœminam: Sic Gallinæ cantus partum præceſſiſſe declarat. Alia ſunt *non neceſſaria*, & horum alia *ex inſtituto Dei*, alia *hominum*, aliquid ſignificant; ut Iris à Deo ſignum humano generi datum eſt, quòd diluuio mundum non ſit deleturus Dominus. Tale fuit ſignum Gedeonis: Tubæ clangor claſsicum canentis, prælium fore, ex inſtituto hominum indicans. Vel ſigna quædam planè ſunt *fortuita*, nullaque certa ratione cum re ſignata cohærent, & hæc

& hæc impropriè ſigna dicuntur. Cometas non poſſe ſigna poni futurorum euentuum primi generis, ut τεκμήρια, patet; quoniam neque cauſa, neque effectus eius rei, quam ſignificare ponuntur, videri poſſunt: Neque ab eadem illa cauſa efficiuntur, à qua illud fit, quod portendere dicuntur. Quomodo enim imaginabimur Cometem, qui flamma eſt in aere ex tali materia accenſa, tantiſper ardens dum conſumatur, mortis Regum vel magnatum, & Principum interitus, prælioruṁ, inundationum, effectuumque aliorum talium planè diuerſiſsimorum cauſam fieri aut fore? Conſtat enim, unius cauſæ naturalis unum eſſe per ſe effectum, non contrarios. Cometas verò naturales eſſe effectiones, ſuprà demonſtratum eſt. Quare quod ab eis efficitur, naturali modo ac via efficitur, & proinde naturale quiddam eſt. Velim ergò mihi exponi, qua ratione prædicta mala à Cometis naturaliter producantur? Multò difficilius eſt dicere, quomodo effectus ſint earundem calamitatum. Quippe certum notumque eſt, effectus omnes ſua cauſſa eſſe poſteriores. Proinde ne ſecunda quidem ſignificatione, Cometæ ſigna erunt futurorum euentuum. Iam quod neque ab eadem cauſa ſigna, id eſt Cometæ, & calamitates fiant, æquè manifeſtum eſt; cum Cometas ex Materia halituoſa accenſa in aere naſci, oſtenſum ſit. Prælia autem, periuria, euerſiones populorum, vaſtationes regnorum, &c. ab hominum prauis cupiditatibus plerumque proficiſcuntur. Et quod de peſte, caritateque annonæ objici poſſet, cum Cometis illas cauſas naturales communes habere, ac proinde horum ſaltem Infortuniorum ſigna nón mala ſtatui, concedi fortaſſe poſsit: ſi de remotá cauſa, non autem de proxima, dicatur. Sed ad argumentũ hoc mox reſpondebo, cum de cauſis agam. Sequitur ex dictis, *Cometas futurorum euentus, cum quibus neque materia, neque forma,*

*forma, neque efficiente conueniunt, ſigna non eſſe.* Num igitur, ut cauſa ſe ad euentum varios futuros habere poſsint? ſequente cap. videamus.

## De ſignificatione Cometarum, utrum futuros euentus vt cauſa præſagiant.

*Cap. XVII.*

CAuſam id dicunt Philoſophi, ad quam effectus ſequitur; & harum aliæ ſunt *per ſe*, ad quas per ſe & propriè ſequitur effectus, aliæ *per accidens*, quæ ex ſua natura effectum producere certum aliquem nequeunt. Tales ſunt apud Phyſicos caſus & fortuna. Cæterum cauſarum per ſe quædam ſunt *interna* (ſic dictæ quod ſubſtantiam rei conſtituant) materia & forma: quædam *externa*, (quod extra rem conſtituendam ſint) efficiens & finis. Quatuor igitur cauſarum per ſe ſunt genera, *Materia*, & *forma*, ut partes: *efficiens* & *finis*, ut mouentes. Quod ſi ergo Cometa alicujus euentus cauſa eſt, erit vel per ſe cauſa, vel per accidens. Si per ſe eſt cauſa, erit ex genere vel internarum vel externarum cauſarum.

At quia cauſas internas oſtendimus eſſe eas, quæ rei, cujus cauſæ ſunt, ſubſtantiam conſtituunt, (materiam ſcilicet & formam) quibus poſitis impoſsibile eſt non poni compoſitum: (*Materiam* hic conſideramus non primam illam, de qua Phyſici; ſed eam cujus genera res motus & ſtatus certi particeps eſt, ex qua gigni aliquid poſsit.) Qui materiam ſic conſiderabit, in Cometis tale nihil inueniet, ut qui *materia fieri futurorum euentuum non poſsint*. Qui enim pars ſubſtantiæ fiant rerum, quæ neq; in naturæ gubernantis poteſtatem veniant, neque communitate ulla cum eis participent? Cometæ namque ignes ſunt ſuccenſi in

ſic co

ſicco halitu talibus de cauſis in ſublime ex terra aut aqua eucĉto. Cædes autem, proditiones, mors principum,&c. quid cum his commune habeant, non video. omnia ejusmodi ex hominum pendent voluntate, ἐκ πϱοαιϱέσεως: Illi naturæ ſunt opera: ac proinde efficiente quoque cauſa, imo reliquis omnibus, differunt. Equidem nec *formæ* eſſe poſſunt Cometæ futurorum euentuum, quandoquidem ſubiecto ſeu materia plurimum differunt. At forma eſt finis materiæ & motionis, eius cuius forma dicitur. Et habet forma quælibet propriam ſuam materiam, ſicut & quælibet materia certæ duntaxat formæ, non cuilibet obuiæ, ſubſterni poteſt. Ergo cum de Cometis, præſertim extinctis, cauſa fingi non poſsit, quod informent euentus futuros, ſequitur, *cometas neque ut formam, futurorum euentuum cauſam eſſe*. Reſtat, ut de externis cauſis videamus. *Efficiens* cauſa, ut certo naturæ ductu, ex certo certum generetur, præſtat; non ut quodlibet ex quolibet fiat. Si igitur Cometes efficiens cauſa eſt euentuum futurorum, unum effectum ſemper, & non plures, producet: cum unius cauſæ per ſe unus idemque ſit effectus, non plures. At peſtem, bella, inundationes aquarum, famem, & alias calamitates, easque toto genere differentes & diſparatas, quis ab una cauſa per ſe produci poſſe, credere aut dicere audebit? Idem de fine ſtatuimus. Eſt enim *Finis* alius οὗ, *cujus*, quem Ariſtoteles perfectum vocat, quia modum perficit, forma inducta. Alter ᾧ, *cui* Philoſopho dictus, qui ſubiectum perficit. Neutro horum modorum Cometes futurorum euentuum cauſa dici poteſt, ut finis: ſicuti ſuprà oſtendimus. Patet ergo, *Cometas euentuum futurorum cauſas per ſe non eſſe*. Quod ſi enim eſſent, ipſis apparentibus neceſſarium foret, prædicta conſequi, ſi non omnia, plæraque ſaltem: ac nihil eorum uſu uenire, ipſis non apparentibus.

Cuius contrarium docet experientia, ut poſtea audietur. Ergo per ſe cauſæ non ſunt: ac proinde neque ſignificant eiusmodi. *Cauſa per accidens*, indefinitæ & variæ ſunt; eo quod omnia, quæ cauſis per ſe accidere poſſunt, pro cauſis per accidens ſumuntur. Harum effectus igitur nonniſi à cauſis per ſe pendent: & quia infinitæ eſſe poſſunt, certorum euentuum autores eſſe nequeunt. Infiniti præterea ſcientia nulla eſt. Quare nec præſignificatio. Vnde rurſus ſequitur, *Cometas futurorum euentuum cauſas per accidens reuera dici non poſſe*. Sed nec per ſe eſſe, oſtenſum eſt. Ergo Cometæ neque ut ſigna, neque ut cauſæ futuros euentus in natura & rebus humanis ſignificant, quos præiudicari ab eis nonnulli opinantur. Sed ſi quid ſignificant, & effectus aliquos producunt, eos producent, de quibus in cap. de fine Cometarum diximus.

## Obiectionum contrariarum ſolutiones continet.

### *Cap. XIIX.*

NVnc ad argumenta adverſantium reſpondendum eſt, quæ *à cauſa efficiente Cometarum*, & *malignitate aſpectuum, materia, experientia*, & *auctoritate* hominũ non ineruditorum, deſumunt. *Ab efficiente cauſa*: quam illi *lumen cæleſte, ortum ab aliquo certo ſtellarum poſitu, infauſtoq; aſpectu prognatum* affirmant; ut cum Planetæ infauſto poſitu coniunguntur, aut opponuntur, aut Ecclipſis ♄. ♂. ☿. cum ſole aut luna infauſtis aſpectibus coniunguntur. Quam ſententiam hæc prima ſequuntur abſurda. Primum, quod lumen à Solis & aſtrorum aliorum lumine alienum (quod ipſum tamen ex certo aliquo reſpectu, eoque infauſto, oriatur) vim habeat Cometarum materiam è terra euocandi, ipſosq; Cometas generandi. Secundo quod corpo-

corporibus cœleſtibus attribuunt diuerſas, contra principia Phyſica, & omnem rationem. Suprà enim oſtenſum eſt, cœlum & corpora æætherea ſimpliciſsima, puriſsima, ex uno elemento conflata, omnis mutationis expertia eſſe, nec ullam varietatem qualitatum admittere. Hoc ipſe Ariſtoteles, cum, quomodo calorem & vim inferioribus his ſuperiora communicent, declarat, confirmaſſe videtur. *Διὰ τὴν αἰτίαν δὲ γίγνεται, μὴ τοιούτων ὄντων ἐκείνων τὴν φύσιν, λεκτέον νῦν. ὁρῶμεν δὴ τὴν κίνησιν ὅτι δύναται διακρίνειν τὸν ἀέρα καὶ ἐκπυροῦν. ὥστε καὶ τὰ φερόμενα τηκόμενα φαίνεσθαι πολλάκις.* Et paulo poſt: *διά τε ταύτην τὴν αἰτίαν ἀφικνεῖται πρὸς τόνδε τὸν τόπον ἡ θερμότης. καὶ διὰ τὸ περιέχον πῦρ τὸν ἀέρα διαρραίνεσθαι τῇ κινήσει πολλάκις, καὶ φέρεσθαι κάτω βίᾳ,* &c. Deinde ſtellarum alias fauſtas, alias infauſtas dicere, numquid contra Philoſophiæ præcepta & ipſam rationem eſt pronunciare? Quid enim reſpondebunt curioſi illi, ad locum S. Scripturæ: *Vidit Deus quæ fecit, & erant valde bona.* Cœlum, & in eo duo luminaria magna, cum ſtellis creavit: quæ bona valdè fuiſſe teſtantur S. literæ. Quomodo ergo infauſta Chriſtiani abſque ſacrilegio dicent ſydera? Nec hic quicquam valet, quod *de natura corrupta* obiicere fortè poſſet quiſpiam. Cum cœli, & quæ in ipſo collocata, ab opifice rerum omnium, ſunt, integra conſervata ſint; & ea omnia, propter quæ à Deo Opt. Max. creata ſunt, ſemper & ſine errore præſtiterint. Denique, falſum etiam hoc eſt, & à ratione alienum, quod poſt Eclipſes, cum ſemel Mars, Mercurius, & Luna coniuncti fuerint, Cometæ exorti ſint. Sed hæc de natura Planetarum, tum etiam fixarum ſtellarum, hucusque dicta ſufficiant: Nullæ enim ſtellæ per ſe malæ: multò minus aſpectus aut coniunctiones oppoſitionesue habent & edunt infelices. Verum concedamus illis, Cometas ſequi & produci à talibus coniunctionibus. Quod ſi

ita eſt, neceſſe erit, ut quotieſcunque tales Planetæ talem poſitum habent, & Eclipſis ſit, Cometam produci. Atqui Eclipſes abhinc annis circiter 20. plures obſeruanimus, quas tamen nullus Cometes inſecutus eſt, excepto proximo ſolo: qui vtrum tales coniunctiones ſequutus ſit, ipſi iudicent. Ergo Hypotheſis ipſorum erit falſa, aut ſaltem non erit vera cauſa efficiens, quam per ſe cauſam diximus. Quod ſi per accidens cauſa dicitur, non tam hujus effectus, quam alius cuiuſcunque tandem eodem iure dicitur effectus. Quod ad *materiam*, nullam controuerſiam moueri video, quandoquidem Cometam exhalationem fumidam, calidam & ſiccam eſſe, in ſupremam aeris partem euectam, ibi conglobatam, & accenſam, flammam certa aliqua forma de ſe ſpargere, omnes propè eodem modo confitentur. Formam quoque in dubium minimè vocari video.

## De ſignificatione Cometarum, ab experientia & Hiſtoriis.

### *Cap. XIX.*

EXperientiam qui nobis objiciunt & *hiſtoriam* multorum ſæculorum, oſtendere volunt, Cometarum apparitionem ſemper diri aliquid & calamitoſi ſecutum fuiſſe: remque ſic habere, plurimum annorum exemplis probant. Sic ratiocinantes: *Hoc anno & illo, aliisq; plurimis &c. annis Cometa viſus eſt: nec multò poſt, hæc vel illa calamitas ſequuta eſt. Ergo à Cometa præcedente fuit præſignificata.* Verùm hos, quid *experientia* eſſet, quibusque conditionibus circumſcripta ſit, accuratius conſiderare decebat, prius quam pronunciarent. Experientia certè arti ſcientiæque quodam modo ſimilis eſt. Etenim per experientiam ars ſcientiaque efficitur. Quoniam ars effici-

tur

tur, cum è multis experientiis conceptio ſeu opinio & propoſitio uniuerſalis, una de ſimilibus omnibus uniuerſalis generatur. Differunt nihilominus in eo, quod experientia particularium; Ars autem uniuerſalium eſt cognitio. Cæterum definitur experientia, quod ſit comprehenſio atque memoria ejus, quod frequenter & eodem modo viſum eſt. Quod ſi experientiam hoc modo, id eſt, propriè ſumpſerimus, pro obſervatione eius, quod ſæpius ſemperq; eodem modo accidit; vtique Cometarum ſignificationi minimè conuenit. Neque enim unius rei eiuſdemque eodem modo factæ, obſeruatio erit. Cum res ipſæ, ſiue euentus ſint varii, multiplices, infinitisq; modis mutentur. Nihil igitur experientiam, ad effectus Cometarum certos, & quidem futuros, attinet adducere, cum conditiones, quas in experientia requirunt Galenus & Ariſtoteles, viri doctisſimi, in his non inueniamus. Quod ad *Hiſtoriam* attinet, primùm mirari ſatis nequeo, cum tot tantique Cometarum obſeruatores extiterint, eos omnes tantùm circa funeſtas & diras calamitates, quæ Cometarum flagrationes conſecutæ ſunt, tantopere occupatos fuiſſe: ut nullus huc usque extiterit (quantum quidem mihi potuit conſtare) qui hiſtorias rerum rectè feliciterque geſtarum, tum ab hominibus, tum ȩ natura factarunt, retexere, & commoda inde pronata poſteritati mandare, conatus fuerit. Conſtat enim, Cometas res naturales eſſe, & ſecundum ſuam naturam bonum commodumq; potius, quàm mala & incommoda, efficere. Natura enim gratia boni agit, & finem ſuũ ſemper aſſequitur, ni impediatur. ſic Cometæ non ſignificabant malum naturaliter, ſed bonum. Quod ſi *hiſtoriis fidem adhibendam* dicas, concedam libens; ſed non omnis tamen euentuum obſeruatio dicenda eſt hiſtoria. Hiſtoria enim eſt rei geſtæ vera narratio, prætereq; rei geſtæ ordinèm ac ſeriem nihil aſſe-

rens. Quod ſi igitur Hiſtoriæ docent, plerosq; Cometas ſequuta eſſe incommoda & calamitates,non ſtatim probant, præcedentes Cometas talium cauſas aut ſigna extitiſſe. Hoc ex aliis principiis demonſtrare oportet, non nuda affirmatione tantum aſſerere. Empirici Medici olim hiſtoriam τηρήσει eorum, quæ aliquando eueniſſe viderant, ( & αὐτοψίαν hac de cauſa vocabant ) conſtare voluerunt. Memoriam autem eorum, quæ frequenter & eodem modo viſa fuiſſent, ἱστορίαν dixerunt. Hoc nos quoque in noſtro hoc negocio requirimus: nempè, ut ab Hiſtoriis & exemplis non concludatur, niſi ea ſæpè, imò ſemper, eodemque modo, ſe habere apparuerint. Notæ ſunt regulæ logicæ de Inductione, & exemplo. Non valere ſcilicet argumentationem in his, niſi ſingularia ſibi reſpondeant, & ſimilitudine probè conueniant.

## Quid de Cometis ſentiendum,

*Caput XX.*

QVid plerique omnes, tum verò maximè Aſtrologi, de Cometarum effectibus ſentiant, iam pluribus eſt dictum. Quid Phyſici, quantumque concedant, proprio quoque capite expoſui. Ex quibus conſtat, alios effectus in his inferioribus producere Cometas non poſſe, præter eos qui materiam & formam conſequuntur. Ergo pro eo atque Cometes, ſiue crinitum ſydus, conflagravit, & materia vel conſumpta, vel non conſumpta fuerit, poſt ſe relinquet, aut non relinquet, fomitem alicuius corruptionis vel mali. Nam cum Cometes apparuerit, ignemq; conceperit, materia eius ( id eſt exhalatio compacta) vel conſumetur tota, vel pars aliqua, extincto igne, remanebit. Quod ſi ab igne materia omnis conſumpta fuerit, purifica-

rificationem aeris conſequi neceſſe eſt. Ignis enim ſuapte natura aerem perpurgat, eiuſque humiditatem corrigit. Tam magno ergo igne in aere accenſo, in materia facilè inflammabili, quid aliud efficiet, quàm ſiccitatem, æſtum, & ventos, quæ aerem purum & ſalubrem, non inſalubrem aut noxium, reddunt. Contrà, ſi materia Cometæ, vel ob copiam exhalationum ſuccedentium, vel ob caloris & ignis imbecillitatem, vel propter utrunque, tota non abſumatur: Materia ſeu fomes relictus calore concepto alieno, neceſſariò putreſcit. Qui putrefactus malignam qualitatem contrahens, toti aeri eam & his inferioribus communicat: unde peſtis, frugum corruptio, tanquam ſuam cauſam conſequuntur. Hac ratione ſola Cometæ effectus in his inferioribus producunt noxios, præter hæc nihil producere poſſunt. Nec neceſſariò invehunt tales effectus, cum plerunque materia igne abſumatur, & ipſe ignis, pabulo idoneo deſtitutus, paulatim extinguatur. Quod cum fit, anni conſtitutionem ſalubrem meritò denunciabit, imò efficiet. Sin remaneat pars eius magna (nam exigua facilè abſumitur, aut alias diſcutitur, ut inde nihil generari mali poſsit) propter impreſſam qualitatem calidam putrefacientem, peſtem frugumq; corruptionem, præterea nihil, denunciabit, vel potius efficiet, ut paulò antè dixi.

Quomodo verò calamitates illas reliquas, mortes videlicet principum, euerſiones regnorum, & alia eiuſdem generis, huic item Principi, Regno, prouinciæ magis, quam illi alteriue, præmonſtrent, id nulla ratione, vel arte, à quoquam cognoſci aut declarari poterit. Vt igitur Cometas peſtis, & caritatis annonæ cauſas eſſe aliquas, certa ratione motus libenter concedo; ſic etiam ſigna aliquando calamitatum earundem eſſe, non nego. Sed naturalia

ralia ſigna illorum aliorum effectuum eſſe, pernego. Signa igitur Diuinæ vindictæ iam iam imminentis nemo negat, opinor; qualis fuit ξιφίας totum annum Hieroſolymitanum excidium præcedens. Deus certè pro immenſa ſua erga humanum genus bonitate talibus uſus eſt omnibus ſeculis ad commonefaciendos homines de imminentibus pœnis, quæ peccatis ſibi ſuis accerſunt, ut moniti vitam corrigant, veramque pœnitentiam agentes, iram diuinam atque adeò pœnas imminentes, euitent, &c.

# Ex ejusdem GRYNÆI Judicio de Cometa anni clↄ Iↄ LXXVII.

EX dictis conſtat, Cometas & ex cauſis naturalibus ortos, & ſecundum naturam vel flatus, vel æſtus inſolitos, vel (quanquam rarius) peſtem aut caritatem annonæ, denotare poſſe, ut ſignum uniuerſale, & tale quidem ſignum, qualibus Deus humanum genus de ſua voluntate edocere, aut de pœnis iam imminentibus admonere ſolet. Quod etiam ſigna talia nonnunquam dederit infiniti ſui erga nos amoris, certum eſt. ſic natiuitatem Seruatoris noſtri ſtella iudicauit, quæ Magis ab oriente venientibus locum monſtravit, ubi nuper Rex Iudæorum natus eſſet.

Quod ad vulgi opinionem, hodieque ab omnibus receptam attinet, non nego, ſæpe calamitates grauès, atrocia bella, ſeditiones, excidiones vrbium, populorum, mutationes Imperiorum, principum & Regum interitus, peſtem, famem, & alia mala plurima, Cometarum exarſiones conſecuta eſſe. Verum illa omnia à Cometis ſic pependiſſe, quomodo effectus à ſua cauſa dependent, demonſtrari rationibus nullis unquam poterit. Metuunt verò hodie

die pleriq; Cometas, ac hiſtoriis de calamitatibus hos conſeqvutis multùm tribuunt, imperitia vel ſuperſtitione decepti, vel etiam præjudicio eorum, qvi iſtis rebus ex magicis ſomniis plus nimio tribuunt, occupati. Ac quod ad primum attinet, manifeſtum eſſe omnibus opinor, ea quæ ignota, noua, inuſitata, in natura eueniunt, admirationis & terroris plus hominum mentibus incutere, quam quæ frequentia, nobisq́; cognita ſunt. Sic priſcis illis terribiles fuerunt Eclipſes ſolis, cum, quid rei eſſet, quod luna ſubitò, cum plena luce ſplenderet, eam amittat, varioſq́; colores exhibeat, nondum ipſis conſtaret. Propter ignorantiam cauſæ iſtius, cum à paucis intelligeretur, in prodigium Eclipſis Lunæ trahebatur, quo diuinitus magna aliqua præmonſtraretur calamitas. Sic Niciam Syracuſas obſidentem exterritum infeliciter pugnaſſe, referunt hiſtoriæ. Sic Pelomidam adverſus Alexandrum infauſto omine prælium iniiſſe, putabant antiqui, exterritum Solis Eclipſi. At Lunæ defectum Æmilius Romanorum imperator, contra Perſeum dimicaturus, qui de nocte fiebat, (cum horror & ſtupor Macedonum caſtra peruaſiſſet ob oſtentum) nihil timuit: quod Eclipticarum inæquabilitatum, quibus luna circumacta in umbram terræ ſtatis temporibus incidit, ac tam diu occultatur, dum umbræ locum pertranſierit, rurſusq; à ſole illuſtretur, gnarus & intelligens eſſet. Is ergo hoſtem profligavit, & victoria potitus eſt. Quod de ſuperſtitione dictum eſt, etiam patet; cum quid hæc tum in his ipſis rebus, tum in aliis omnibus poſſit, nemo ſapiens ignoret. Hac potiſſimum arte mille ille artifex, Dæmon, homines credulos & timidos iam olim decepit ac deluſit. Hinc artes diuinatrices, Aruſpicina, Auguria, Extorum inſpectio, Magia, ars futurorum contingentium particularium euentuum diuinatrix ac aliæ

profanæ artes ſimiles ſunt ortæ. Quibus omnibus, vnà cum ipſarum profeſſoribus, quid quantumq; tribuere debeant ac poſſint pia ac moderata ingenia, ſacræ litteræ demonſtrant. Ego hic vnicuiq; indico, ſecundum litteras ſanctas viuendum & ſentiendum potius, quàm commentis profanorum hominum inſiſtendum.

Qui nobis hiſtoriam & experientiam multorum annorum objiciunt, inductione idoneorum exemplorum perſuadere nobis conantur, *Cometas ſemper tetri aliquid portendiſſe, & nunc etiam portendere. Sic Cometam qui anno 905 fulſit, ſecutas Hungarorum in Germaniam irruptiones. Idem etiam Cometa ſignificauit* (ſic enim de eo ſcribunt) *oculorum priuationem Regis Longobardorum Ludovici. Cometam anno 912. flagrantem ſequuta eſt mors Rodolphi Regis Romanorum, Hungarorum in Germaniam & Italiam expeditiones: inundationes aquarum, maximè per Saxoniam.* Et id genus plurima adducentes, concludunt, *Cometas ſemper tetri & calamitoſi aliquid ſignificare, nempe regum & principum obitus &c.* Hic primùm reſpondendum eſt: ſi quis Cometas, quemadmodum monſtra & oſtenta alia, putet, imminentes pœnas omnibus nobis generaliter, non vni tantùm, minitari, cum hoc me non pugnare. Qui verò in genere non manent, ſed ad particularia & ſingularia deſcendunt, & huic magis, quàm illi, neſcio quid intentare cenſent (ut cum aiunt *Cometam ſuprà dictum Rodolpho regi mortem, Bellum Hungaricum per Germaniam & Italiam, inundationem aquarum per Saxoniam* & cum alterum affirmant *bellum certum & excæcationem Regis Ludouici*, quæ fortè pòſt eum ſecuta ſit, *portendiſſe*) cum his ſanè facere non poſſum. Nam hæc mala aut ſecuta ſunt Cometas ut ſuum ſignum, aut ut cauſam; neutrum verò fieri poſſe, manifeſtum eſt. Nam ſi alterutro modo ſecuta aſſeras, unam

cauſam

cauſam, aut unum ſignum, res plurimas, easq; tota natura & toto genere diuerſiſſimas, vel produxiſſe vel ſignificaſſe dabis: quod cum tota rerum natura, omniq; Philoſophia, maximè pugnat. Quomodo enim Cometam, qui flamma eſt in aere accenſa, inundationes aquarum conſequentur? quomodo bellum in prouinciis tanto locorum intervallo diſſitis, ab eadem illa gente, cui fulſit, geretur? qua ratione duorum regum, alterius interitus, alterius excœcatio hinc nata putabitur? Deinde, ſi Cometæ ſigna ſunt particularium euentuum, cur ea ipſa, ut excæcatio regum, mors principum, bella in Germania & Italia ab Hungaris mota aut mouenda, deniq; inundationes per Saxoniam, non ſic eueniunt, dum Cometæ ardent? Ab anno 912. infiniti fermè Cometæ fulſerunt, ſed cui Regi oculi eruti ſint ab eo tempore, memoria nihil eſt mandatum, licet Cometem, qui Anno 905. apparuerat, Ludouico eam calamitatem portendiſſe clamitent. Cometas intra annos hos 77. proximos plurimos habuimus; ſed bellum ad Hungaris in Germaniam, multo minus in Italiam, motum non inuenio. Quod ſi quis reges quosdam interim ſuum diem objiſſe, cum prius apparuiſſet Cometa, ut Carolum V. & alios quosdam, objiciat, ei Ferdinandum, (qui mortuus eſt nullo præeunte Cometa) Imperatorem Maximilianum, qui præterito anno è vita deceſſit, & principes plures alios ſummos etiam in Imperio, qui intra annos viginti ex hac vita euocati ſunt, quibus annis omnibus, nullum Cometam fulſiſſe conſtat, objicio. Proinde ſi Cometæ ſigna ſunt obitus principum, erunt vel neceſſaria, vel non neceſſaria: ſi neceſſaria, ſemper præcedent mortem principum. At multi obierunt diem ſuum Principes inclyti, ut modò dictum eſt, nullis apparentibus Cometis. Quod ſi non neceſſaria ſunt ſigna, patet imperitia ſuperſtitioſorum homi-

 num.

num animos principum oſtentis percellere magis ſtudentium, quàm rei naturam ordinemq; naturæ ſequentium. Carolum Magnum Imperatorũ Maximum & Chriſtianum ſequimur. Qui cum Anno Domini 814. Cometam conſpexiſſet, quem nonnulli *ipſi Cæſari infauſtum* iudicarent, verbis Prophetæ, *Nolite à ſignis cæli metuere, quia ab eis formidant gentes*, admonitus, inquit: *Non aliud timere debemus, niſi illum, qui noſtri & ſyderis huius creator eſt. Quin imò eius clementiam laudare tenemur, qui noſtram inertiam, cum peccatores ſimus, talibus admonere dignatur indiciis. Quia igitur talia portenta cum apparent, ad omnes communiter pertinent, omnes pro virili ad meliora feſtinare debemus, ut miſericordiam in illo dominante conſequi valeamus.*

## E PHILIPPI MVLLERI, Med. Lic. & Mathematum in Academia Lipſienſi Profeſſoris, Commentatione Phyſicomathematica de Cometa anni cIɔ Iɔc XVIII.

### *CAPVT XXII.*

### *De ſignificatis Cometarum, & vi aſpectuum cœleſtium.*

Conſtat omnium ſanorum hominum & pænè ipſius naturæ voce, Cometas nequaquam apparere fruſtrà, ſed afferre ſecum aliquid inſignis commotionis & innouationis, cùm in cæteris ſublunaribus rebus, tum ex parte in hominis vita & actionibus, quatenus gubernantur à natura, aut alioquin in ea fundamentum habent. Utut enim res naturalis ſit Cometa, progreſſus è naturalibus cauſis: tamen ſicuti balæna, aut ſimile marinum monſtrum rarò ejicitur in littus, ut non ſequatur aliquid ſingulare;

lare; ita Cometa quiſpiam raro prætcrit & ſalutat mundum hunc, quin præſentiæ ſuæ memorabile veſtigium imprimat. verum qvibus rationibus id fiat, & qua de cauſa; per ſe an per accidens; tum ad malum ſolummodo appareant Cometæ & diſponant, an quandoq; etiam ad bonum; quibus temporum metis contineant ſe effectus illorum; id verò Platonicis numeris obſcurius arbitror. Mea ſententia, quam Keplero debeo, quem non pudet me & in hoc & in aliis pleriſq; ducem ſequi, hæc eſt: Idem aſpectus & χηματισμὸς aſtrorum, qui cœli facultatem inſtigabat, ut Cometam gigneret, irritat quoq; ſublunarem naturam, ut intra ſe concipiat novas & majores turbas, ſiccitatem inſolitam, ventos impetuoſos, terræ concuſſiones, inundationes maris, aëris infectionem, continuas pluuias &c. ibi & hoc tempore has; ibi aliove alias, pro habitudine locorum terreſtrium & Cometæ per ea tranſitu: eamq; irritationem ſine dubio continuat, intendit, auget & ceu obſignat Cometa ipſe, qui ſequitur aſpectum. Idem de animatis intelligi velim. Itaq; niſi homo pietate, conſtantia, virtute, aſſvefactione offirmet pectus adverſus quemcumq; inſultum, niſi ſit valida conſtitutione corporis, naturâ vel arte, jam tum his gradibus magnus aditus factus eſt ad mutationem valetudinis & fortunæ ſuæ. Quid verò, cum ea vis nos inſuper immediatè aggreditur? Non certe exleges ſumus. Quo acriorem ſenſum habemus aſpectuum ejusmodi, hoc validiorem ſtimulum percipimus. Ergo qui ſunt debili & infirmo corpore, animo impotente, inquieto & affectibus apprime obnoxio, turbulentis & periculoſis negociis impliciti, in extremis conſtituti, male conſulti &c. hos credendum eſt, non minus commoveri & perturbari, ac reliquam naturam, commotosq; agere vel pati naturæ & conſvetudini ſuæ conſentanea, aut alioquin præſentibus

occaſionibus, circumſtantiis & cauſis apta; idq; cum impetu & vehementia; non aliter ac vinum κεράννυται τοῖς τρόποις τῶν χρωμένων. Ac inprimis eos extimulari probabile eſt, qui cum ſic affecti ſint animo vel corpore, nanciſcuntur inſuper in ſuorum thematum natalitiorum hylegialibus locis, ſive aſpectus illos, ſive Cometam, ſive utrumq; aut qui olim ſub aſpectu ſimili, aut ſub aliquo Cometa atq; efficaci poſitu eiusdem editi ſunt in lucem: nam ſimile mouet ſimile. Nec tamen quicquid occaſione illius commotionis naturalis committitur, omittitur, ſuſtinetur, id ſubito virtuti aſpectus tribuendum eſt, & non potius internæ bonitati aut pravitati ſive corporis, ſive animi conſiliis bonis aut malis, imprudentiæ, ſecuritati, obſtinationi &c. Impellimur, non cogimur. Multò minus huc referenda, quæ à longo conſeqvuntur interlapſis multis aſpectibus contrariis; niſi ea talia ſint, quæ diu lateant in ſuis cauſis, & ſemel probe jacta fundamenta agnoſcant. An Cometæ quidam ad bonum & ad ſalutem apparere poſſint, abſolutè definiri neqvit, cum bonum χετικῶς dicatur, & plerumq; uni malum bono ſit alteri, & vice verſa. Vinci malum eſt cadentibus; victori bonum. Theologis etiam pœnæ in bonis ſunt, & rectè: *Bonum mihi fuit à te corripi, Domine, ut diſcerem mandata tua.* Et alibi: *vexatio dat intellectum* Sic in naturalibus, quoniam aliis agris, & animantium cum ſpeciebus tum indiuiduis, pluuiæ, aliis ſiccitates ad fertilitatem, ad ſanitatem, ad muneris functiones, meliores ſunt: non poteſt utriſque Cometa pariter vel ad bonum apparere, vel malum, ſive iam humectet, ſive exſiccet. Quis Cometam, ſi calefacit & ſiccat, non ad bonum ſuccedere dicat anno pluvioſo? ſin humectat, ſqualido? non reducit is temperiem? Cum limitatione igitur accipiendum: οὐδεὶς κομήτης, ὅςις οὐ φέρει κακόν, & id generis ſexcenta alia.

*Ariſt. ſ. 30. probl. 1.*

*Pſal. 119.*

*Hippocr. ſ. 3. Aph.*

CAPUT

## CAPUT XXIII.

## Concertatio cum aſtrologis ſuper iudicio Cometarum.

ATq; hactenus mantice Cometica videtur ferri poſſe. Plura qui ab ea poſtulat ſive ἀςερμάντης ſive conſultor, ſuæ curioſitatis præmium merito fert deceptionem. cuius unum alterumque exemplum pro guſtu en tibi! Signum conſiderant inprimis & locum, in quo inceperit & finierit Cometa, ut quid, qvibus & unde portendat, noſcant ex hoc: cum tamen ſignorum nulla ſit cum rebus iis, a quibus denominantur & prædicantur, ne minima quidem naturalis connexio, ſed ex mero placito hominum facta & agnominatio & dimenſio. Et ut ſit aliqua; tamen de primo & ultimo Cometæ Ecliptico loco non magis conſtat inter eos, aut conuenit ut plurimum, quam quid rerum geratur apud antipodes hodie: ac pæne dubito, an unquam recte & ad unguem, ſicuti neceſſe eſt, ſi juſtum thema dare volunt, conſtare poſſit. Teſtis Cometa proximus. Quidam, cui & ego accedo, primo viſum dicit ſub ſcorpione, alter ſub ♎. Et tamen ambo æqve confidentes ſe & perbenignos exhibent in pronunciando: annon hæc eſt deluſio? Quo ipſo quoq; gravitatem & tarditatem prædictorum, captatam ex duratione Cometæ, ruere, quis non videt? Siquidem ignorato principio, (ne de diſparitione dicam) durationem quoq; ignorari neceſſe eſt. Non diſſimile quid domibus cæleſtib⁹, & depromtis hinc vaticiniis obiicio. Et alioqvin de ratione vera & certa diſtribuendi, & quaſi metandi regiones cœli, tum Aſtrologis conveniet, quando horologiis in pulſu horæ. Nam quid hoc eſſe dicā, quod omnes promiſcuè ſtellas etiam multum remotas

à Zodia-

à Zodiaci ambitu, imponunt iis domibus? quæ capiunt loca Ecliptica ſtellarum? cum ad oculum pateat, ex ſphæricis ſaltem, tales ſtellas propter magnas declinationes ſuas, & obliquitatem Sphæræ, cum longe aliis punctis Eclipticæ aſcendere ſupra Horizontem, quam ad quæ referuntur. Jam quivis circulus poſitionis eſt inſtar Horizontis alicujus. Atq; hinc fieri poteſt, ut, Aſtrologis inſciis, Cometa noſter incidens in longè aliam domum, quam quo pertinebat revera, ſignificationem ediderit alieniſſimam a præceptis artis, ne dicam a veritate ipſa. Quam leve porro, ex rubeo Cometa ſanguinarium facere aut incendiarium, ex livido ſandapiliarium aut veneficum &c. cum hi colores, hæ luculæ, mille præſtigias faciant oculis? Quam optabant aliqui, ut Cometa nuperus ruber eſſet? Etiam illud nimiopere ſcire velim, ſi Cometa aliquis, aut ſtatim, aut paulo poſt, ſimul & orientalis ſit & occidentalis, numquid accelerationem an retardationem euentuum præſagire debeam? nam & hoc eſt inter artis emblemata, *ab Orientalibus ſive matutinis nunciari celeres effectus; a veſpertinis ſeu occidentalibus tardos*. In omni lite, bello, contractu, duæ ſunt partes; quarum uni plerumq; ſuccedit præ altera. Ergo ſi Cometa retrogradus ſit in ſigno utriq; parti conſecrato, (ecquid enim non exiſtat ejusmodi caſus?) quænam pars ſperare, quæ timere debet? neutra, an utraque? ſi retroceſſus Cometæ argumentum eſt ſiniſtræ, ut directio ſecundæ actionis. Caudæ porro ſuæ pæne circa omnes mundi plagas rotatione, ſignificanter ſcil. denorabit, quibus apoteleſmata metuenda ſint, & unde. Tandem de aſpectibus Cometæ, & ceu collimatione cum Planetis, unum adhuc moneo, quod potentiſſimum meo judicio aſpectum, puta ☌ cum ☉, plerumq; aut prætereant Aſtrologi, aut ignorent. Quid multis? ut qui totos dies jaculantur,

lantur, caſu feriunt aliquando; & multiloquis inter centũ futilia unum grave & verum excidit verbum, qvod quaſi cum ratione dictum magnifit: ſic niſi Aſtrologi fortuitò incidant in verum, his qvidem regulis artis, quas attulimus, licet & licebit eis fallere & falli, quantum & quamdiu velint. Aut niſi vel Deus vel genius aliqvis loquitur per illos nobiscum, ad id uſus conceptibus Aſtrologicis, tanquã allegoricis aut hieroglyphicis notis, qvomodo ſe aliàs applicare ſolet Deus & ceu conformare noſtris cogitationibus, quem modum ἀνθρωποπαθειαν vocant. Sed tum probare debent autoritatem ſuam, & cujus ſpiritus filii ſint, oſtendere. Nos, qui in ſcholis docemus, veram illam & ſobriam Aſtronomiam, qvam nemo niſi malus vituperat, nemo niſi ignorans non æſtimat, hoc ſigno excitari dicamus ſtudioſam juuentutem à contemptu ejus, tanquam ab epidemio aliquo & profundo veterno, & moneri, ut deinceps majorem diligentiam adhibens in hoc ſtudio, hunc quoq; hymnum arbitretur operum divinorum, Deo gratum, proximo conducibilem. *Ariſtot. l. de diuin. c.2. Cic. 2. de diuin.*

THOMAS FIENVS, Medicinæ Profeſſor Louanienſis, in Diſſertatione de Cometa anni CIƆIƆCXVIII. ad Libertum Fromondum, ſub finem:

COmmunis hominum opinio eſt, cometas multa mala, ventos, tempeſtates, terræ-motus, mortes Regum ac Principum, regnorumq; mutationes præſagire. Ariſtoteles 1. Meteororum c. 7. dicit, *Cometas præſagire ventos, & aëris ſiccitatem, eò qvod generentur ex ſiccis exhalationibus, quæ pertranſeundo aërem in quo ſunt, neceſſario debent ei ſuas qualitates communicare.* Ptolemæus II. quadripartiti, ſic inquit: *Obſeruandæ ſunt crinitæ ſtellæ, ſiue illæ Eccliſium tempore, ſiue quandocunq; conſpectæ fuerint: quorum na-*

*tura eſt, ea facere, quæ Martis & Mercurii propria ſunt, bella, aſtus, turbulentias, quæq; hæc ipſa comitantur.* Plinius lib. 11. cap. 25. vocat cometam *ſidus magna ex parte terrificum, ac ſævum.* Sancti Patres, Damaſcenus, Euſebius, ac multi alii de cometa loquuntur, ut de ſigno ſignificante iram Dei, & minante hominibus plura mala in correctionem peccatorum ipſorum. Poëtæ ubiq; ut dirum ſidus, & triſtia omnia portendens, decantant. Lib. III. Oraculorum Sibyllinorum ſic habetur:

*Sole ſub occiduo verò vocitata cometa*
*Stella relucebit gladii mortalibus index*
*Et famis, & mortis, præclarorumq; virorum*
*Atq; Ducum interitus, magnorum, Nobiliumq;.*

Virgilius 1. Georgicorum loquens de bellis, quæ poſt Cæſarem interfectum fuerunt, ſic ait:

*Non alias cælo ceciderunt plura ſereno*
*Fulgura, nec diri toties arſere cometæ.*

Et Lucanus libr. I:

*Ignota obſcuræ viderunt ſidera noctes*
*Ardentemq; Polum flammis cæloq; volantes*
*Obliquas per inane faces, crinemq; timendi*
*Sideris, & terris mutantem regna Cometem.*

Et Claudianus ait:

*Nunquam cælo ſpectatum impune cometam.*

Manilius libro II. Aſtronomiκῶν cap. 9. ſiue in fine, ſic enumerat effectus Cometarum:

*Nunquam futilibus excanduit ignibus æther,*
*Squalidaq; eluſi deplorant arva coloni*
*Et ſteriles inter ſulcos defeſſus Arator*
*Ad iuga mærentes cogit fruſtrata iuuencos.*
*Nunc grauibus morbis & lenta corpora tabe*
*Corripit exuſtis lethalis flamma medullis,*

*Laben-*

*Labenteſq́; rapit populos, totasq́; per urbes*
*Publica ſuccenſis peraguntur facta ſepulchris.*

Et deinde:

*Qvin & bella canunt, ignes, ſubitosq́; tumultus*
*Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma*

Et paulo pòſt:

*Civiles etiam motus, cognataq́; bella*
*Significant — — —*

Præterea hiſtoriæ plenæ ſunt triſtibus euentibus, maximis cladibus, qvæ Cometarum apparitionibus ſucceſſerunt: adeo ut fere nullus videatur mundo illuxiſſe Cometa, quin aliqvid magni ſemper ſit inſecutum. Quin & ſacra ſcriptura variis locis videtur indicare, ejusmodi cœli ſigna ſemper Dei iram, & futuram humani generis caſtigationem indicare: ut 2. Joelis & Matth. 24. ubi habetur, diem judicii judicatum iri ejusmodi, in cœlo, ac ſtellis, portentis prægreſſis.

His tamen omnibus non obſtantibus, opinio mea eſt, *Cometas nihil præſagire naturaliter ſeu virtute naturali.*

An aliquid præſagiant ſupernaturaliter, & ex inſtituto Dei, non eſt meæ profeſſionis diſputare, ſed id relinqvo Theologis diſputandum, & auctoritate Sanctorum Patrum, quam tamen in hac materia magni etiam puto eſſe momenti, confirmandum.

Quod autem nihil indicent virtute naturali, probo. Primò ſi Cometæ ejusmodi futura mala indicarent; vel indicarent ea ut *cauſa* eorum, vel ut *coëffectus*: nam ut *effectus* non poſſunt indicare. Quia quod indicat in ratione effectꝰ, indicat ſuam cauſam; & indicat præſens vel præteritum. Cometa non indicat mala ut ſuam cauſam: quia mala ſubſequentia non ſunt cauſa cometarum; ſed potius Cometæ deberent eſſe ipſorum malorum cauſæ. Et Cometæ non

indicant præſens, vel præteritum, ſed futurum. Præter has ſigni rationes ferè nullæ ſunt aliæ: quia nihil ferè eſt ſignum alterius Phyſicè, niſi vel ut effectus ejus, vel ut coëffectus, vel cauſa. Dico *ferè:* quia adhuc ſunt aliæ rationes ſignorum: ſic pars viſa eſt ſignum ſui totius ibidem præſentis &c. Sed ſimiles rationes ſignorum non competunt Cometis. Atqui Cometa neq; ſignum eſt futurorum ut cauſa, neq; ut coëffectus: E. non eſt ſignum eorum. Non ut *cauſa:* quia Cometa non eſt cauſa futurorum eventuum. Non ut *coëffectus*; quia quod ſignificat, vel indicat, ut coëffectus, illud indicat alium effectum procedentem ab eadem cauſa, à qua ipſum proficiſcitur. Sic gracillatio gallinæ eſt ſignum ovi ponendi, quia gracillatio & ovum ſunt duo effectus procedentes ab eadem gallina: quia gallina eſt cauſa utriusque: & quando unum effectum efficit, tum ſtatim etiam efficit & alterum; & ſic unus effectus eſt ſignum alterius effectus, vel præſentis, vel ſtatim ſecuturi. Sic magna claritas nocte in aliquo loco eſt ſignum, quod in illo loco, ubi illa eſt, ſit magnus calor: quia calor, & claritas ſunt coëffectus, ſive duo effectus ejusdem cauſæ, nempe ignis. At cometa & futuri triſtes eventus non ſunt effectus ab una & eadem cauſa procedentes; E. non poſſunt ſe mutuo indicare; vel unum non poteſt indicare alterũ in ratione coëffectus. Si ergo Cometa in nulla ratione ſigni Phyſici indicat futura mala, id eſt neq; ut cauſa, neque ut effectus, neque ut coëffectus, E. non indicat.

*Quod Cometa non ſit cauſa futurorum eventuum*, probo: Quia quicunq; aſſerunt Cometam eſſe cauſam futurorum eventuum, nituntur eo fundamento, quod Cometa ſit exhalatio fumida, pinguis, calida, ſicca, ſulphurea, in aere accenſa: & quatenus eſt talis exhalatio, eatenus dicunt

ipſum

ipſum tales producere in aere, ac corporibus animalium diſpoſitiones, ex quibus ejuſmodi mala poſtea proveniant. Adeo ut tota vis præſagiendi Cometis adſcripta nitatur eo fundamento, quod Cometa ſit exhalatio accenſa. at hæc doctrina eſt falſa, ut ſuper eſt probatum: ergo falſa eſt quoque omnis virtus præſagiendi, quæ Cometis ex eo capite adſcribitur: exiſtente enim fundamento falſo, concidunt omnia, quæ ab illo fundamento ſequuntur, & dependent.

Porro *quod Cometæ, & futura mala etiam non ſint coëffectus*, probo: Quia non poſſunt in alia ratione Phyſice eſſe coëffectus, quam quod Cometæ ſint effectus exhalationum in genere cauſæ materialis; & futura mala ſint effectus earum in genere cauſæ efficientis, adeoque in diuerſo genere cauſæ. at futura mala non ſunt effectus talium exhalationum, ex quibus fit Cometa: quia Cometa non fit ex talibus exhalationibus, ſed eſt corpus cœleſte, ut oſtenſum eſt: ergo futura mala & Cometæ non ſunt coëffectus, ſeu effectus ab eadem cauſa procedentes. Porrò qui de præſagiendi ratione Cometarum ſcribunt, dicunt Cometas futura mala indicare hac ratione. *Exhalatio illa, ex qua fit Cometa,* inquiunt, *eſt ſicca: ſi ſicca, ergò aerem, per quem tranſivit, exſiccavit. Deniq; eſt incenſa. Si eſt ſicca, & incenſa: ergo tanta corporis flamma aerem excalefecit, & exſiccavit, & impreſſit ei calidam & ſiccam intemperiem, & vapores aeris conſumſit, & exſiccavit. Si ita conſumſit, & exſiccavit; ergò non fient pluviæ. ſi non fient pluviæ; ergo fiet ſterilitas agrorum, & aer non depurabitur. Pluviæ enim aerem multum depurant. Si fiat ſterilitas agrorum, fiet annonæ caritas. Si annonæ caritas; ergò homines coacti neceſſitate comedēt pravos cibos. Ex tali hominum diæta ſequentur varii morbi. Deniq;*

*qui aër à flamma Cometa erit excalefactus, & exſiccatus: graſſabuntur febres ardentes, & morbi calidi: & quia illa exhalatio eſt fumida, viſcida, ſulphurea, ac pravæ naturæ, malignam quoq; aeri imprimet qualitatem; à qua ſimul cum annonæ caritate fient peſtes &c. Porrò quia illa exhalatio fumida non potest in totum eſſe conſumta; ſed multæ ejus portiones in aere, per quem tranſierunt, & præcipuè in inferna aeris rgione, ad quam flamma Cometæ non pertingit, debuerunt eſſe relictæ, eatenus fient venti, quia ventus eſt exhalatio calida & ſicca. Tales enim portiones exhalationum relictæ à media aeris regione frigida deorſum protruſæ, & ab oppoſita terra in latus agitatæ facient ventum. Quatenus fient venti; eatenus ſequentur in mari tempeſtates; è maris tempeſtatibus, regionum inundationes. Cùm ejusmodi exhalationes generantur, non omnes in altum adſcendunt; ſed aliquæ etiam in viſceribus ac cavernis terræ relinquuntur: illæ autem exire nequeuntes terræ motus excitabunt. Ulterius, quia corpora animalium alterantur à qualitatibus aeris, & aer, ut jam dictum eſt, à Cometa eſt excalefactus, & exſiccatus: neceſſarium eſt, ut in corporibus hominum multiplicentur humores calidi & ſicci, & conſequenter multiplicetur bilis: & quia bilis facit homines iracundos, hinc homines fient iracundi, ſeditioſi: hinc in urbibus ac populo ſeditiones. Et quia etiam Principes fiunt iracundi; fient bella: & quatenus fiunt bella, & Principum mortes, eatenus ſequentur regnorum, religionisq; mutationes.*

Ex quibus omnibus patet, totam vim præſagiendi Cometarum eo niti fundamento, quod Cometa ſit exhalatio accenſa in aëre. Quod cum ſit falſum, nemini non ſit manifeſtum, omnem vim præſagiendi Cometarum falſam quoq;, frivolam ac ridiculam eſſe. Accedit, quod, licet verum eſſet, quod Cometa eſſet talis exhalatio accenſa, tamen nulla ratione poſſet præſagire pleraq; eorum, quæ ei adſcri-

adſcribuntur. Quod probatur. Etenim talis exhalatio neceſſario accendi deberet loco altiſſimo, multis millibus milliariorum à nobis diſtante, uti ſupra oſtenſum eſt ex eo quod Cometæ motu primi mobilis rapiantur. At exhalationes tam remoto loco accenſæ, quomodo poſſunt aerem hunc infernum afficere? Si exhalationes pravæ omnes adſcenderint in ſuprema aeris loca; ergò aer infima ſui parte eſt depuratus: ergò nullæ malæ exhalationes hic amplius remanſerunt, quæ corpora noſtra male afficere poſſint. Et ſi exhalationes omnes ibi ſupra ſint accenſæ: ergò ſunt exuſtæ: ergo non amplius ſunt, nec ullam malignam qualitatem reſervarunt. Ignis enim omnem venenatam qualitatem delevit & extinxit; ut patet in peſte, in qua ignes exſtruuntur, ut venenata aeris qualitas exſtinguatur. Si dicatur, quod *ſaltem aer eſt exſiccatus, & excalefactus*; *atq; ex eo ſaltem multa mala contingere poſſint*. Primum videtur quod non poſſit eſſe calefactus; quia cum ignis ille fuerit tam multis millibus milliariorum à nobis remotus, non poteſt ſic inferiorem aerem multum excalefeciſſe, vel exſiccaſſe. Et quomodo poteſt aer ab eo calefieri? Plerumq; enim aſſerunt ſcriptores, Cometas fieri in autumno: Autumnum ſequitur hiems: quantum in Autumno aer à Cometa eſſet excalefactus, tantum videtur, quod iterum à ſubſequente hyeme deberet refrigerari. Et ſi aer excaleſceret à Cometa, & ſiccaretur, magis calidus eſſet, cum adhuc ignis, & Cometa durant, quam cum exſtinctus: ſed quis in aere, a Cometa ſenſit calorem, aut ſiccitatem? non eſt dubium, quin Cometæ frequenter adparuerint, quando aer fuit maxume frigidus. Accedit, quod inter Cometam & infimam hanc aeris regionem, intercedat media aeris regio frigidiſſima, quæ omnem Cometæ in eam activitatem videtur neceſſario debere impedire.

Porro omnia, quæ deducunt auctores communiter fieri a Cometa, per quandam ſequelam cauſarum, & effectuum, fiunt a ſuis cauſis tam remote, tam fortuito, & tam contingenter, ut nullam habeant fiendi vel neceſſitatem, vel adparentiam. Non enim ſequitur: aer eſt exſiccatus; ergo nulli fient vapores, & conſequenter nullæ pluuiæ. Etenim æſtate aer eſt exſiccatus, & tamen nihilominus paulo poſt in Autumno fiunt pluuiæ maxumæ. Non ſequitur; relictæ forte ſunt aliquæ exhalationes in aere, quæ non ſunt abſumtæ; ergo fient magni venti: quia forte non ſunt relictæ, ſed ſurſum omnes adſcenderunt. Et ut aliquæ relictæ ſint; non eſt neceſſarium, quod inde ſeqvantur magni venti.

Porro ut fiant magni venti, non ſequuntur propterea neceſſario, aut frequenter, terrarum aut regionum inundationes. Nec neceſſarium eſt, quod adſcendentibus e terra exhalationibus, aliquæ in terris remanſerint, quæ terræ-motus faciant.

Cur enim multæ remanſiſſent, & non exiuiſſent cum aliis? & ut remanſiſſent, non ſequitur, quod illæ terræ-motus ſtatim facere debeant. Fortuitum hoc nimis eſt & rarum. Freqventer, & ſingulis annis in terra, & e terra excitantur exhalationes, & tamen nulli fiunt terræ-motus.

Dicunt, *quia Principes habent corpora teneriora aliis, ideo præ aliis ab infecto exhalationibus aëre magis afficiuntur, & a morbis, qui tum graſſantur, interimuntur.* Ridiculum eſt. Quare enim Principum corpora ſunt tenuiora corporibus aliorum, aut magis pravis humoribus prædita? ſi Principes ſint obnoxii Cometis propter corporis ſui teneritudinem; ergo multo magis ſenes, mulieres, pueri: ergo illorum mors a Cometis eſſet prædicenda potius, quam regum aut principum.

Dicunt,

Dicunt, *qvia corpora ſiunt bilioſiora, ideo & ad iram prona: hinc ſubditi moliuntur ſeditiones; Principes aliis Principibus vicinis bella inferunt.* Longe petiti effectus, & longa ſeries cauſarum. Aer non multum facit corpora bilioſa, ſed proprium temperamentum, victus ratio, &c. Bilis aliqvod adventitium incrementum non multum facit ad hominum iram. Ab aliis cauſis iracundia procedit; a bilioſa complexione naturali, non adventitia, praua educatione, imprudentia, injuriisq; perceptis. Nec ira Principum facit bella; ſed cupiditas dominandi, amor vindictæ &c. Bella pendent a Principum, & Conſiliariorum, aliorumq; Principum ſuadentium libera voluntate. Quæ autem a libera hominis pendent voluntate, non ſunt obnoxia actionibus neq; cœlorum, neq; Cometarum, neq; aëris, niſi valde fortuito, & valde remote. Qvorum fortuitorum, & remotorum euentuum nulla poteſt fieri prædictio, niſi valde temeraria, fortuita, ſtulta, atq; incerta. Quis Aulicorum animadvertit Principem ſuum poſt adparitionem Cometarum ſolito iracundiorem? ſi Cometa tali ratione excitaret iracundiam in Principibus; eadem ratione, & in aliis hominibus, præcipue tenerioribus, ut mulieribus, pueris, excitare deberet: at quis umquam Paterfamilias animaduertit, vel uxorem ſuam, vel proles, poſt Cometarum adparitionem fuiſſe iracundiores, quam ante eam? Julius Cæſar Scaliger exercitatione in Cardanum 79. cap. 11. adſerit, Cometas nihil præſagire, neq; ut cauſas, neq; ut ſigna: *Etenim*, inqvit, *exiſtimare à Cometa regem interfici, ridicula dementia eſt; tanto minus euerti Provinciam:* Audiamus tamen & nonnulla alia ſtulta præſagia. Magnus Mathematicus Ptolemæus in centiloquio, pronunciato ultimo, ſic inquit: *Cometa quorum intercapedo eſt undecim ſignorum a Sole, ſi adparuerint in cardinibus regni*

*alicujus, Regem aut Principem, aut ex Principibus regni aliquem moriturum prænunciant. Sin in loco ſuccedente, bene ſe habitura, quæ Theſauri ejus ſunt; ſuum tamen adminiſtratorem mutaturum: qui ſi in loco declinante, morbos, aut repentinas mortes fore. At ſi ab occaſu moueatur ad ortum: externum hoſtem regionem inuaſurum; ſin non moueatur, Prouincialem hoſtem futurum.* Cardanus lib. 14. de varietate rerum cap. 70. ſic inquit: *Cometa Colos dictus, rubens ac ſplendidus, vel liuidus, vel niger. Hæ enim omnes peſſimæ; argentea, & candicans nimis formidabilis, diuturnæ quoq;, & magnæ, & plures contrariis ſunt deteriores? & quæ frequentant, & hyeme, quam æſtate, & diurnæ, quo rariores eo majus exitium portendunt. Et juxta Saturnum, peſtes: & proditiones, & ſterilitatem. Circa Jovem, legum mutationem, mortem Pontificum. Juxta Martem, bella. Juxta Solem, toti orbi magnam cladem. Juxta Lunam, magnas inundationes, aliquando ſiccitates. Juxta Venerem, Principum mortem & nobilium. Juxta Mercurium, varia mala & multa. Juxta Lyram, delicioſis, & nobilibus. Juxta Coronam & in Tropicis, Aequinoctiisq;, Regum interitum. Juxta ſerpentem & in Scorpione peſtem. Juxta Trigonum, perniciem ingeniorum. In fixis ſignis, terræ motus. Juxta caput Gorgonis, & armatas figuras, bella. Juxta Andromedam, & Caſſiopæam, ſeruitutes & deſolationes. Juxta Eridanum & Argo, tempeſtates & inundationes. Cum deliquiis, horrendæ & miſerabiles. Mobiles valde, ſiccitates & ventos pariunt. Fixa, diuturniora mala. Cuſpis etiam oſtendit locum huic malo obnoxium.* Quid ſtultius his præſagiis excogitari poteſt? quid ſtultius me foret, ſi tempus terere vellem tam ſtultis & vanis pronunciatis refellendis, deſumtis ex ſtulta, vana, & ſuperſtitioſa divinatrice Aſtrologia? Aliam præſagiendi rationem habet Plin lib. 11. c. 25. *Referre arbitrantur in quas partes ſeſe jacule-*

*jaculetur, aut cujus ſtellæ vires accipiat, quasq; ſimilitudines reddat, & quibus locis emicet. Tibiarum ſpecie, Muſicæ arti portendere. Obſcœnis autem moribus, in verendis partibus ſignorum. Ingeniis, & eruditioni, ſi triquetram figuram, quadratamve paribus angulis ad aliquos perennium ſtellarum ſitus edat. Venena fundere, in capite Septentrionalis Auſtrinave ſerpentis.* Qui longe ſtultiora adhuc Cometarum præſagia intelligere voluerit, conſulat Haly c. 1. part. 8. de judiciis aſtrorum. Item. c. 32. & 41. part. 8. ejusdem libri. Item Albumaſarem lib. 5. de conjunctionibus magnis & in fine Florum, & Cardanum lib. 2. 3. 7. aphoriſmorum. Porro *Cometas nihil mali vel efficere, vel præſagire huic mundo poſſe*, adhuc variis rationibus poteſt probari.

Probo ergo ſecundo. Cauda Cometæ nihil agit, quia ſolum eſt ſplendor luminis, ut dictum eſt. E. ſi eſt aliqua vis agendi in Cometa, erit in capite ejus; at Cometæ caput eſt valde paruum; tam paruum autem ſidus nullam poteſt magnam in hæc inferiora exercere activitatem. Nam ſi una alia ſtella ſola ex iis, quæ in cœlo ſunt, nihil poteſt notabile efficere in hoc mundo inferiore: immo ſi omnes ſtellæ cœli ſimul ſumtæ parum efficiant, exceptis Sole & Luna, a quibus fere omnis, quæ in hæc inferiora exercetur, actio procedere percipitur; quid operabitur tam paruum ſidus tranſiens & nullo loco conſiſtens, & tam exiguo tempore durans?

Tertio, ut ita eſſet, quod Cometa haberet aliquam in hæc inferiora actiuitatem; qualis ea foret, impoſſibile eſt ſcire. Nam ſi ſcire non poſſumus, quid aliæ cœli ſtellæ operentur, ut ex falſitate & incertitudine Aſtrologiæ judiciariæ eſt manifeſtum: quæ tamen ſemper, & a condito orbe ſteterunt, & quarum virtus, jam quatuor mille pœne annis potuit obſeruari: quomodo poterimus cognoſcere

Cometarum vires, qui raro adparent, ſtatim prætervolant, & cito pereunt.

Quarto, Vires ſiderum modificantur diuerſimode propter concurſum activitatis tot aliorum ſiderum, quæ ſuas mutuo vires frangunt, mutant vel intendunt: & hæc eſt cauſa, cur eorum virtus cognoſci neqveat: eadem ratione nec Cometarum poterit: multo minus ex eo quod Cometæ moueantur, & ſingulis diebus cum nouis ſideribus conjungantur, a quibus eorum virtus variatur, modificatur, determinatur, incognoſcibilis euadit. Dices: *Experientia cognoſcitur*; ſed illa cognitio nimis eſt incerta. Nam etſi multa mala & triſtes euentus in mundo poſt Cometas euenerint: non ideo euenerint virtute Cometarum: ſed vel, etiamſi nullus Cometa adparuiſſet, eodem modo proueniſſent. In hoc mundo tam inconſtanti, & ex tam contrariis conſtante partibus, nihil poteſt permanere perpetuum: ſemper noui euentus, hic triſtes, & hoc anno: alibi, & alio anno læti. Numqvam tres, quatuor, quinque anni (ad qvos etiam multi Cometarum efficientiam extendunt) labuntur, quin aliqua parte mundi ſemper aliqua mirabilia, triſtiaq; eueniant: hic bella, illic mortes Principum: alibi inundationes, terræ motus, annonæ caritas, peſtilentia, mortes Regum: etiamſi nulli Cometæ adpareant. Quam multos vidimus triſtes euentus hiſce annis, quibus tamen nullus Cometa illuxit? cui, ſi illuxiſſet, omnes absq; dubio adſcripti fuiſſent. Sicut autem multa triſtia eueniunt, ita & læta: & ideo ſi quis ex hiſtoriis conferret omnia, quæ poſt adparitiones Cometarum in mundo contigerunt, absq; dubio non minora læta, quam triſtia, reperiret.

Nunquam in aliquo loco poſt Cometam triſtes euentus ſecuti ſunt, quin in aliis mundi partibus, vel ſæpè in ea-

dem

dem, non pauciores læti evenerint; etſi non commemorentur. Ad felicia minus aduertimus, quam ad triſtia, & horrenda. Quando fuit, quod trium quatuorue annorum ſpacio non Rex aliquis, magnus Dux, aut Princeps mortuus ſit? obiit magnus Rex Philippus, obiit Imperator, Sereniſſima Hiſpaniarum Regina, proles ejus, Galliæ Rex, Serenisſimus Maximilianus; à quo Cometa? nullus apparuit. Certè ſi apparuiſſet, miſer Cometa homicidiorum omnium reus fuiſſet.

Multi e contra apparuerunt, poſt quos nihil notatu dignum accidiſſe eſt animadverſum. Julius Cæſar exercitatione 79. capite 11. jam ante citatis, ſic inquit; *Multi itaq. ſunt à nobis viſi Cometæ, quos nulla uſpiam totâ in Europâ, ſubſecuta eſt pernicies mortalium. Et multi clariſſimi viri ſuo fato functi ſunt, multi euerſi principatus, peſſum data familiæ illuſtriſſimæ, ſine ullo Cometæ indicio.*

Quinto, ſi Cometa tantum mali præſagit; cui regioni præſagit? an regionibus à quibus videtur? Atqui 24. horarum ſpacio hic noſter totum mundum circummeavit; & à toto ferè mundo viſus fuit: an ergo toti mundo minatur? Virtus ſiderum eſt univerſalis, nec ad ullam peculiarem determinatur regionem; Sed quas partes illuſtrant, in eas omnes agunt, modo ſint receptivæ actionis eorum; Ergo erit & Cometarum. Unde ſi tantum mali efficerent, & præſagirent, non uni tantum regioni, ſed toti mundo, & facere & præſagire deberent; quod à nemine proditum eſt. An verò illis regionibus tantum minatur, ſupra quarum vertice fertur? nam in illos rectis radiis virtutem ſuam magis demittit. Sed hic Cometa delatus fuit ſuper verticibus mediæ partis mundi; & ſuper verticibus omnium mundi regionum, quæ ſunt cis Æquinoctialem (nam ab Æquinoctiali, ad minimum ejus ortum incepiſſe non eſt dubitan-

bitandum:) proindeque ſuper verticibus omnium ferè præcipuarum mundi partium. Præcipuæ enim omnes mundi regiones ſunt cis Æquinoctialem; Auſtrinam mundi partem fere mare occupat. An ergo omnibus minatur? Decurrit hic Cometa ſuper vertice totius Aſiæ, Europæ, Mexicanæ, & majoris partis Africæ. Et, ut citeriores magis notas mundi partes nominem; ſuper tota Arabia, Perſia, Turcia, Barbaria, Maroco, China, Japonia, Hiſpania, Francia, Italia, Germania, Polonia, Belgio, Tartaria, Catay, Moſcovia, Ruſſia, Norvvegia, Iſandia, Groenlandia, noua Sembla &c. Super Maroco, & Feſſa decurrit die decimâ quartâ, & decimâ quintâ Decembris. Super Hiſpania, quando fuit circa ſiniſtrum humerum Bootis; nempe decimâ ſextâ circiter Decembris. Die decimâ ſeptimâ ſuper Italia: die vigeſimâ, ſuper Francia, Turcia; Die vigeſimâ ſecundâ ſuper Germania, Belgio; Die 11. Januarii ſequentis, ſuper nova Sembla, Groenlandia &c. Quibus ergo minatur? an iis ſuper quorum capite diutius hæſit? an iis ſuper quorum capite majus lumen, majoremq; caudam habuit? Si his, timeant Indi, & quicunq; inter Æquinoctialem, & Cancri Tropicum habitant. Si illis, timeant Ruſſi, Moſchi, Groenlandi, Tartari; nam ſuper eorum vertice exiſtens tardè proceſſit; adeoq; multo tempore hæſit. Simus nos ſaltem ſecuri, ad quos neutra ratio magnopere ſpectat; cum medio modo habuerimus circa utramque: Sed nec illi timere debent, quia quibus magno lumine magnaq; cauda incubuit, eos citò pertranſivit. Super quibus diu hæſit, eos exiguitate luminis ſui, corporiſq; languore, & debilitate non multum efficere potuit. An verò minatur iis, ad quos cauda ejus tanquam virga dirigitur, ut Cardanus loco citato, & Plinius lib. 11. cap. 25. aſſeruerunt? Illud dici non poteſt: quia cauda dirigitur ad omnes mundi partes.

Cauda

Cauda enim ejus ſemper eſt averſa Soli. In qua parte eſt Sol, in oppoſitam dirigitur cauda ejus. Prout Sol vertitur, ita & cauda eius. Unde cum Sol quotidie totum circummeet orbem, neceſſum eſt, ut quoq; cauda cum ipſo circumducatur, & ſic 24. horarum ſpacio, ad omnia cœli puncta ſemel dirigatur.

Sextò, Quo tempore effectus illi ſunt à Cometâ expectandi? ſi in multos annos virtus ejus extendatur, quod multi faciunt; non mirum ſi multi interea triſtes eventus in hoc inſtabili, & perverſo mundo contigerint; non virtute ipſius Cometæ, ſed ab aliis cauſis. Seneca libro 7. naturalium quæſtionum capite vigeſimo octavo, tradit ad annum vim activitatis ejus extendi.

Sed & ad annum, & magis ad tres, quatuor quinq; extendi, omnino à ratione alienum eſt. Nam quomodo aget, ſi perit? videtur, quod ejus efficacia maxime deberet elucere interim quàm durat. Nam poſtquam periit, euanuit vel exceſſit, effectus ejus ab aliorum ſiderum continuâ ac perſeuerante actiuitate, à ventorum interim orientium diuerſitate, ab anni temporum alternâ varietate, neceſſario deſtrui, & exſtingui debuiſſe videtur.

## JO. BAPTISTA RICCIOLVS, Societatis JESV, Philoſophiæ, Theologiæ & Aſtronomiæ Profeſſor Bononienſis, Almageſti noui, anno clↄcLIII. Bononiæ editi, libro IIX. ſectione I. cap. V. numero XI.

VElle, uon dico diuinare, ſed conari ad id, & ex regulis Ptolemæi, vel aliorum Aſtrologorum, prognoſtica Cometarum edere in vulgus, prorſus inane cenſeo, & irritamentum potius irati iam numinis, quam obſequium aut expiationem ipſi debitam: ſiquidem ad huiusmodi prognoſin

gnoſin requireretur, ut plures eiuſdem per omnia conditionis Cometæ apparuiſſent, quorum effectus aut euentus ſubſecuti maxima ex parte perſimiles fuiſſent. At ſi attente legas hiſtoriam Cometarum, nullus adhuc oſtendi poteſt Cometa fulſiſſe alteri ſimilis in figura, loco, motu, duratione, anni tempore &c. aut quorum inter ſe quoad plures conditiones ſimilium, ſimiles quoq; fuerint effectus, aut euentus ab ipſis ſignificati.

PETRVS GASSENDVS, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſitus, & in Academia Pariſienſi Matheſeos Profeſſor regius, Phyſicæ ſectione II. libro V. Capite III.

SVpereſt quidpiam dicendum de Cometarum effectib⁹, ſed non profectò eſt cur iis immoremur. Nam quòd imprimis ventos creent diſſipatione exhalationum; quòd tempeſtates ventorum vi; quòd ſiccitatem, & ſterilitatem eductione ſucci terreni; quòd præ ſterilitate famem, rixas, ac proinde bella, & Principum interitus, Rerùmque publicarum cladeis; itemque peſtem, quæ vulgò famem, bellumque conſequitur, cæteraque ſimilia: patet profectò, quàm tenuis, imò quàm nulla ratio ſit. Certè ſeu venti, ſeu aliæ impreſſiones in aëre ad Cometarum ſeu exortum, ſeu durationem conſequantur, id tribuendum videtur ſeu luci, ſeu qualitati alii, vt in Aſtris cæteris fit. Et quamvis res ſit planè incerta ( nam neq; ad omneis Cometas aër ſimiliter mouetur, neque, niſi Cometæ eſſent, aſſeri poteſt aërem eas mutationes non ſubiturum; ) attamen, ſi aliqua ſit effectorum diuerſitas, ea referri commodè poteſt ad diuerſam eorum naturam, Illa ſcilicet indicatur ex varia magnitudine, vario colore, vario motu, adiunctiſque id genus aliis. Vt prætercam, ſi verum fuerit, quod

quod nonnulli volunt Terram eſſe animatam, ſenſumque habere cæleſtium adſpectuum; fieri poſſe, vt ad exortum huiuſcemodi Siderum certâ ratione afficiatur; adeò vt, quemadmodum ad ſolam quorundam objectorum præſentiam exhilaramur, aut inhorreſcimus; ſic ipſa varios halitus ſeu effundat, ſeu retrahat, aërisque faciem tranſmutet. Deinde, cùm circa has res, quæ magis ſunt naturales, tanta incertitudo ſit: quid, putas, dicendum videtur de illis, quæ magis arbitrariæ ſunt? Nempe huc etiam vanitas Aſtrologiæ eſt propagata. *Referre arbitrantur*, inquit Plinius, *in quas parteis ſeſe Cometes iaculetur, aut cuius Stellæ vireis accipiat, quasque ſimilitudines reddat, aut quibus locis emicet: Tibiarum ſpecie, Muſicæ arti portendere: obſcœnis autem moribus, in verendis partibus ſignorum: Ingeniis, & eruditioni, ſi triquetram figuram, quadratamve paribus angulis ad aliquos perennium Stellarum ſitus edat: venena fundere in capite Septentrionalis, Auſtrinæve ſerpentis.* Sed nihil eſt vulgatius, quàm quod ſpectat ad bellorum cladeis, Regnorum euerſiones, Principum morteis &c. ſiquidem Manilius: lib. 2 cap. 25.

lib. 1.

*Quin & bella canunt ignes, ſubitosque tumultus,*
*Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma,*
*Ciuileis etiam motus, cognataque bella,* &c.

Et alius: Pontan. in Meteor.

*Illi etiam belli motus, feràque arma minantur,*
*Magnorum & cladeis populorum, & funera Regum.*

Vt minus mirere, ſi hæc, & ſimila in nullius ore non ſint,

*Et nunquam Cœlo ſpectatum impunè Cometen.* Claud. 4. bell. gott.

Et, ——— *crinémque timendi*
*Sideris, & terris mutantem regna Cometen.*

Et,

*Regnorum euerſor rubuit lethale Cometes.* Lucan.

Virgil 10 Æneid. Et, ——— *ſi quando nocte Cometæ*
*Sanguinei lethale rubent.* ———

Et,

1.Georg. *Non aliàs diri toties arſere Cometæ*

Præter illud Plinii, *Terrificum magna ex parte Sidus*, & ſimilia. Hoc autem loco, quid potiùs vſurpem, quàm Epicureum illud, μῦθος ἀπίτω, *fabula abſit*; mirum enim dictu, quanta faſcinatio mentibus humanis illudat. Profectò, ſi anni ſteriles non forent, ſi non inualeſceret fames, ſi non graſſaretur peſtis, ſi bella non excitarentur, ſi exercitus non profligarentur, ſi Principes non morerentur, niſi Cometis præeuntibus; præclarè illa circumferrentur. Nunc autem, ſeu præfuerint Cometæ, ſeu abfuerint, omnia pari modo eueniunt. Ecquid ergo iſti effectus referuntur potius in Cometas, ſeu cauſas, ſeu ſigna, ſeu vtrumque dicas, quàm in quidvis aliud? Ad-hæc, ſi Cometæ conſiſterent, ac vni tantùm ſeu domui, ſeu vrbi, ſeu regioni impenderent; ſi unius aciei clades non eſſet victoria alterius; & quod iſtis lethale eſt, ſalutare illis non foret; ſi Reges ſoli morerentur, ſuperioráque illa corpora optimates potiùs viros, quàm plebeios, reſpicerent; ratio ſpecioſa obtenderetur; at Cometæ varias regiones, imò totam Terram circumeunt; quicquid calamitatem affert vni ſeu viro, ſeu populo, præſtat alii emolumentum; miſta denſantur Principum, & ſubditorum funera; neque naturalibus cauſis vllus noſtri delectus eſt; ecquid ergo diros, lethaleis, timendos dicimus Cometas potius quam benignos, ſalutareis, amabileis? Terrifici ſunt; ſed dementiâ noſtrâ, quæ Panicos ſibi obiicit terrores, ac propriis malis non contenta, extranea vndique adſciſcit. Dices, Cometas diuinitùs ad aliquid nobis ſignificandum vſurpari. Ac ſanè id fieri poſſe non inficior. Sed interim, vndenam

conſtat

conſtat reipsâ ita fieri? An aliunde, quàm ex vanitate, quâ miſeri turgeſcimus, dum digni nobis ipſis videmur, propter quos hæc oſtenta fiant? Quid enim? Declarauit-ne ter-Max. Deus, fore, vt ſi quando Cometa in Occaſum tendat, caueamus ab externis; ſi in Ortum, à domeſticis? An principes admonuit, vt caueant ab iis Cometis, qui matutinum occupant ſignum, factum ipſis horoſcopum, aliàsque conſimileis nugas? Id cum applauſu excipitur; Manil.

*Sæpe domi culpa eſt, neſcimus credere Cælo.*

Neque ego ſanè improbo domeſtica mala ſiue Cometarum, ſive aliarum quarumvis rerum occaſione emendari. Sed qui patienter iſtos feramus, qui ſic ſpeciatim omnia definiunt, ſic bellè ſibi ſapiunt, quaſi, quod ille aiebat, Iupiter Opt. Max. admiſerit ipſos in concilium Deorum? Citant exempla mille cladium, mille mortium Principum, quæ poſt Cometas acciderint; at centies plureis prætermittunt, quæ acciderunt ſine Cometis; neque declarant, quâ ratione ſiniſtri caſus per Cometas cuique aut innoteſcere, aut declarari valeant. Scilicet nemo ſatis attendit, quia neque cum Seneca ſatis id ſibi obiicit: *Ergo tu in tantis erroribus es, vt exiſtimes Deos mortium ſigna præmittere, & quicquam eſſe in terris tam magnum quod perire Mundus ſciat?* lib. 1. cap. 1.

## JACOBVS PRIMEROSIVS, Medicus Anglus, libro II. de Vulgi erroribus in Medicina capite XXXIV:

COmetam mirabile ſidus, neque ordinarium, mala perniciemque mortalibus portendere, vulgaris eſt opinio. Politicis bella, ſeditiones; Theologis religionum mutationes, hæreſes; Nautis ventos & tem-

peſtates ; Agricolis annonæ penuriam, ſterilitates, Medicis peſtem ſignificare creditur.

*Prodigiale rubens, non illum nau'ta tuto*
*Non impune vident populi, ſed crine minaci*
*Nunciat aut ratibus ventos, aut urbibus hoſtes.*

Quorum euentuum nullum certum ſignum cometæ naturaliter queunt præbere, quia eorum cauſæ non ſunt; aut ſi ſigna ſunt, ad id diuinitùs aſſumta fuere, ut, quia extraordinaria ſidera ſunt, aliquid extraordinarium expectari debere indicent, non aliquod certum; quod quid ſit, ſolus euentus patefacit. At ſæpe bella, Principum mortes, hæreſes, tempeſtates, ſterilitates, peſtes accidunt nullo præſignificante Cometa. Imo, ut rectè obſeruat Scaliger, multi viſi ſunt Cometæ, quos nulla ſecuta eſt pernicies mortalium. Non ſunt ſigna naturalia; quæ non magis peſtem, quam bella, demonſtrant. Nec ſupernaturalia, quoniam horum, præterquam iridis, nulla nobis cognitio reuelata eſt. Non eſſe autem Cometas cauſas & ſigna peſtilentiæ, facile probare eſt. Prima ratio petitur ex generatione Cometarum. Miſta duobus intereunt modis, vel per putredinem, vel per combuſtionem. Putredo eſt humidorum, combuſtio ſiccorum. unde quæ putreſcunt, uri non poſſunt antequam exſiccentur, tamdiuque combuſtioni reſiſtunt, quamdiu humida manent. Febris peſtilens generatur ſecundum communem ſententiam, ex putredine vel ipſius aëris, vel eorum quæ aëri permiſcentur. At Cometa generantur per combuſtionem exhalationum. At putredo & combuſtio ſunt contraria. inde Cometa & peſtis erunt contraria: unum igitur non erit cauſa alterius.

Secundò, effectus Cometarum duo ſunt ex Ariſt. cap. 7. primi meteor. ſiccitatum & ventorum productio. ſiccitates

ſunt

ſunt contrariæ putredini, & proinde febri peſtilenti. Hippocratis ſententia 15. libr. tertii ſiccæ tempeſtates humidis ſunt ſalubriores minusq; mortiferæ. Sed per Cometas generantur ſiccæ tempeſtates ; ergò ſaluberrimæ ; non igitur peſtilentes, quæ ſunt maxume inſalubres. Ventorum quoq; flatus peſtem prohibet, quia venti flatu ſuo aërem puriorem reddunt, & ſeminaria contagionis diſſipant. Apud Hippocratem 3. Epid. ſtatus peſtilens deſcribitur, annus auſtrinus, pluuioſus, a ventis in totum ſilens. Eſt duplex conſtitutio auſtrina ; una, in qua flant auſtri ; alia eſt conſtitutio calida ſuffocans, ventiq; aut nulli, aut rariſſime ſpirant. Tertiò, notum eſt exemplum Hippocratis a Galeno laudatum libro de Theriaca ad Piſonem, qui peſtem, ab Aethiopia ad Græcos venientem, accenſis multis ignibus exſtinxit. Quod ſi potuit ignis ille ſeminaria peſtis aëri admiſta diſſipare ; multò magis id præſtabit Cometa flagrantiſſimus : utpote qui, ſicut prius dictum, potentiſſime exſiccat. Quidam tamen modum tradere conantur, quo portendere & efficere peſtem Cometa poteſt. Dicit Gentilis, *hos ignes intelligendos eſſe conjunctos cum multa evaporatione præter ipſorum adparitionem. Poteſt præterea vaporum multitudo eſſe in aëre, qui ſi non poſſunt abſumi, caleſiunt ; inde generantur exhalationes autores cometarum ; vapores reliqui remanent in aëre, a quibus peſtis.* Sed nihil horum neceſſarium eſt ; nam ſi poteſt adeſſe vaporum in aere copia, quando Cometæ adparent ; poteſt quoq; non adeſſe. Tum Cometæ faciunt ſiccitates, vaporesque, ſi qui ſunt in aere, diſſipant. Alii dicunt, *cometas inducere famem & ſterilitatem, ex qua deinde ſit peſtis.* At ſic Cometa peſtem propriè non portendit, ſed famem. Deinde, multi viſi ſunt Cometæ, quos nulla fames ſequuta eſt, ſed omnium bonorum copia. Inuenerunt alii aliud ſubter-

fugium. Dicunt, *deflagrante hoc ſydere tetrum vaporem ſpargi per aëra, ſicut experientiâ videmus extincti ellychnii carbonumq́; fumos noxios eſſe, & peſtiferos. Deinde cum generatur Cometa, magna halituum venenatâ qualitate præditorum copia aëri permiſcetur; qui quoniam mineralem habent materiam & nitroſam, multum poſsident acrimoniæ & malignitatis, & quoniam ex terræ cauernis expirant, putredinemque illic contraxerunt, aërem primum, dein cor inficiunt.* Quæ omnia negare tam facile eſt, quam aſſerere. Vnde enim conſtat, hos halitus eſſe metallicos, acres, nitroſos, malignos, venenatos? cum multi Cometæ fuerint ſine peſte, multæ peſtes nullo præcedente Cometâ. Cum igitur id experientia ſæpiſſimè fieri oſtendat, concludendum eſt, nullam eſſe eorum in præſagiendo rationem habendam. Sed præterea certum eſt, multos viſos fuiſſe in Cœlo ſuper orbem lunæ, non ex ſublunari materiâ, quæ illorum generationi ſufficere non poſſet; quorum ſignificatio, ſi ulla eſt, non poteſt eſſe naturalis.

*FINIS.*

A01 1462109

Digitized by Google

A01 1462109

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

D 85.

Digitized by Google

Digitized by Go